

BOUND BY F. BEDFORD





2nd issue note plates VIII. XV.

QVINTA PARS

INDIÆ ORIENTALIS:

Quâ continetur

Vera & accurata descriptio vniuersæ nauigationis illius, quam Hollandi cum octonis nauibus in terras Orientales, præcipuè verò in Iauanas & Moluccanas Insulas, BANTAM, BANDAM & TERNATEM, *&c. susceperunt: qui An. 1598 Amstelredamo soluentes, partim postero anno 1599, partim hunc sequente 1600 cum ingentibus diuitiis, piperis, nucum myristicarum, Garyophyllorum, & cæterorum pretiosorum aromatum, feliciter confecto itinere redierunt: vbi iuxtà, quæcunque in itinere ab ipsis gesta, visa & obseruata sunt, sigillatim percensentur.*


Opus Belgica lingua primò editum: postea Germanico Idiomate puriore redditum: & ex hoc iam Latio donatum à


BILIBALDO STROBÆO SILESIO.


Adiectæ sunt huic designationi illustres & artificiosæ, tum Insularum, tum fluminum, vt & vrbium, populorum, negotiationum & rerum similium tabulæ seu Icones subtili opera in æs incisæ & editæ à


IO. THEOD. & IO. ISRAELE de BRY, fratribus.

Francofurti, apud MATTHAEVM BECKER. M. DCI.








RPJCB



LECTORI BENEVOLO SALVTEM ET PROSPERITATEM.



POSTQVAM, Candide & Beneuole Lector, iã apud vniuersos paßim decantatißimam Indiam Orientalem, ac in hanc varias, easdemq; illustrißimas & sumptuosißimas à diuersis nouitatis & secretorum naturalium studiosißimis autoribus, nempe Eduardo Lopez, Johanne Hugone de Lindtschotten, & nonnullis aliis susceptas, consignatas, descriptasq; nauigationes prælo euulgare nobis præstitutum esset: nihil ex votis optatisque nostris fuit potius, quàm vt mature intelligeremus, propositum isthoc nostrum quàm plurimis simul, ac vnà prudentißimis quibusuis venire quam acceptißimum.

Cuius quidem fiduciæ nostræ causæ nec raræ, nec ponderis steriles esse iuxtà videbantur. Nam & descriptionem peregrinarum istiusmodi nouarumq; terrarum, monumentis literarum dignißimam esse: itinerum verò in easdem susceptorum catalogum seu potius Diarium plerisque fructuosißimum vtilißimumq; cadere: & tandem Barbararum gentium, ac apud easdem solitorum morum, habituum, ceremoniarum, aliorumque rituum designationem admodum iucundißimam perlegi cognoscique, nemini non in propatulo aut confesso est: Vt ex quorum omnium accuratiore consideratione, ignaui alias & somnolenti homines in absconditorum & admirabilium omnipotentis æternique DEI operum contemplationem erigi & attolli poßint: cui deinde quoq; ceu latißime & sapientißime vbiuis dominãti rerum omnium Monarchæ tum sese, tum sua omnia credere & commendare confidentius audeant.

Habent verò istiusmodi historiæ præter summam iucunditatem & certissimam vtilitatem sibi coniunctam, hoc cõprimis quoque vernaculum, vt apprimè iis deseruire aut conducere possint, quibus has ipsas terras, re & tempore dante olim adeundi animus est. Illi enim ex hac, nostro studio in lucem emissa omnibusq; impertita institutione, commodissimè doceri ac informari poterunt, quo vel modo vel apparatu instructúve profectiones suas instituere, quo itidem pacto in illisce regionibus sese gerere, aut præsumptam mercaturam agere compendio valeant, & si quæ sint alia huiusmodi, quæ peregrè profecturis præscitu comprimis necessaria sint. Sed & præter hæc omnia, hactenus commemorata, operum horum editione ante omnia nostram beneuolentiam attestatò confirmatam reddere voluimus istis, qui Americæ seu Indiæ occidentalis Historiam, quondam à parente nostro p. m. magnis sumptibus occœptam quidem, sed nostris deinde impensis operosè continuatam pleneq; editam iam pridem sibi comparauissent: vt nimirum hoc pacto vniuersas Indiæ partes, ad summam voluptatis suæ mulcedinem possiderent, adeoq; tàm aromatum gemmarumq;, quàm ipsius auri Indici opulentissimis thesauris completè perfruerentur. Et hæ quidem potissimæ editi huius operis causæ, quæ in aliis attendendæ essent. Jam verò cum & nostræ vocationis illud ipsum studium proprium esset; & nos iuxtà (ita nimirum fauente fortuna) præter superiores, nouas iucundasq; alias materias (ex quibus historia nobilissimi & experientissimi viri, Dn. Johannis Hugonis Lintschotani non minima aut postrema est) nacti essemus: semel inceptum opus, cuius iam quatuor partes extarent publicitus, continuare & integrare (publici commodi ratione habita) nolentes volentes coacti fuimus: vt nimirum quasi ad hunc vsque annum & diem omnium & singulorum, in illisce nauigationibus actorum visorumq;, continuata serie producta constaret narratio. Vt verò, Beneuolus Lector singulorum totius operis librorum seu partium plenam planamq; rationem habeat: hæc pauca, breuibus, beneuolè attendat. Prima pars potentissimi & florentissimi regni Congo in Africa siti, descriptionem iucundam continet. Post hanc Indiæ Orientalis, à Iohanne Hugone de Lindtschotten editam historiam

conti-

continet pars Secunda & itē Tertia: quibus insuper ob argumenti similitudinem aliqualem prima Hollādorum nauigatio in Iauam instituta, vt & alia eorundem, ærumnosior tamen & periculosior per fretum VVaygatz in nouam Zemblam suscepta, haud incongruo (vt speramus) consilio addita & annexa est. Quarta verò totius operis pars magna ex parte historiam herbarum, stirpium, animalium, gemmarum, & similium in his terris nascentium, dilucide expedit: cui tandem etiam probandarum & censendarum, dignoq; pretio redimendarum gemmarum præstātiorum regula subiuncta est. Hic autem primi nostri collectamenti in initio statutus limes erat. Cum verò deinde præter dictas in his quatuor partibus profectiones, aliæ quoque subinde à nationibus diuersis, comprimis verò Hollandis, eodem nauigationes decernerentur & fierent, quorum ex commentariis etiam nouæ indies terræ, noui populi detecti noscerentur: omninò operæ nos facturos pretium arbitrati sumus, vt, quæ præter iam à nobis edita euulgarentur porrò priuatim, q. auctaria necessaria totius nostri operis complemento & colophoni adiungerentur. Postrema itaque hac Quinta parte beneuolo Lectori offerimus vniuersam nauigationem & cursum octonarum illarum nauium, quæ ex Hollandia An. 1598. in Moluccanas insulas instructissimæ soluentes, postero 1600. anno, haud paucis exantlatis periculis, cum ingentibus aromatum variorum diuitiis in patriam reduces, felicissime reuersæ sunt, maximo sanè & profusissimo eorum gaudio, quorum eas saluas esse, quid intererat, aut quibus istorum bonorum pars aliqua appertinebat. Omnis autem & integra illa nauigatio, suis circumstantiis vniuersis illustrata, primò quidem Hollandica lingua ab eorum quodam, qui itineris illius, & in ipso gestorum visorumq; omnium pars haud postrema fuit, fidelissime consignata & descripta est: quam nos posteà, puriore Germanico, & porrò ex hoc Latino Idiomate donari accurauimus, ac insuper figuris aut Iconibus, artificiosè in æs incisis, coornauimus illustrauimusque: vt nos hoc pacto omnibus linguarum peritis accommodaremus, & rerum ipsarum intelligentiam viuis picturis iuxta positis planiorem faciliоremq; redderemus. Quæ res etsi nobis constiterit quam maximo: nullis tamen aut laboribus aut


 impen-

impensis parcendum duximus, dummodo hac nostra opera Lectoris & vtilitati, simul & delectationi consuleretur quam maximè. Cuius etiam instituti nostri summam, si cum Lectoris applausu & bonis gratiis esse intellexerimus: haud segniter, isto q. stimulo perciti ad alia quoq; his nihilo ingratiora aut iniucundiora propediem (fauente Christo) accingemur.

Cæterùm, quod in prioribus quoque aliquibus libris fecimus, id hîc coronidis vice repetendum est, rogandusque beneuolus Lector, vt simplicem hanc styli, in vertendo Germanico adhibiti faciem contemptui non habeat. Non enim venustas verborum phaleras, aut nitidos sententiarum flosculos impendere aut innectere ei licuit, qui historiæ, ex originali, vt erat, reddendæ, simpliciter indulgebat: vt nimirum ipsa rerum veritas Lectori hoc pacto, sine fucis additis magis fieret conspicua. Sed &, cum crebro interrupta narrationis series esset, tãtumq; quid dietim nunc hîc actum, nunc istîc obseruatum, nunc illîc præsumptum à nauigãntibus sit, q. in ephemerides relatum confluxisset: non illa certè in vertendo Attica adhiberi elocutio potuit, quam continua alterius historiæ, aut cuiusdam orationis iugis defluxus aliàs proposcisset. Quod hîc obiter, & q. subsultim propter eos, qui nihil nisi sublime, pompaticum & affectatum expectant, rursus inculcari opus visum est. Sed deinceps vale, Beneuole Lector. Francof. ad Mœnum 20. Aug. An. 1601.

QVIN-







QVINTA PARS INDIÆ ORIENTALIS.

VERA ET GENVINA RELATIO DESCRIPTIOQVE NAVIGATIONIS, AB HOLLANDIS

cum octo nauibus in Indiam Orientalem, comprimis autem in Insulas Iauanas & Molluccanas suscepta: qui Amstelredamo An. 1598. vela fecerunt, & An. 1599. atque 1600. cum maximis diuitijs aromatum feliciter in patriam reuersi sunt.



ANNO salutis & redemptionis humanæ 1598. proceres quidam Belgij, studio, fama, & amore patriæ suscitati, naues sex instructissimas expediuerunt duabus celocibus ornatas, quæ prima quauis occasione in Indiam Orientalem excurrerent. Nauium verò hæc nomina erant. *Nomina expeditarum nauium.*

Prima *Mauritius* indigetabatur, cui Almirans *Iacobus Cornelius Neck*, Amstelredamus præerat. Huius patronus, *Gouaert Iansz*, vocabatur. *Mauritius.*

Secunda *Amstelredamum* appellabatur: quam vice Almirans, *Wybrant Warvvick*, Amstelredamus, patrono *Cornelio Ians Fortuijn* constituto tenebat. *Amsterdam.*

Tertia *Hollandia* erat: cuius patronus *Simon Lamberts Mau* nominabatur. *Hollandt.*

Quarta *Seelandt*, patronum *Claes Ians Melcknap* agnoscebat. *Seeland.*

Quinta *Gelderland* seu *Geldria*, patrono *Iohan Bruijn* parebat. *Gelderland.*

Sexta *Vtrecht*, patrono *Iohan Martß* gubernabatur. *Vtrecht.*

Septima, Celox maior *Vrieslandia* erat, patrono *Ioan Cornelißsubdita*. *Vriesland.*

Octaua, minor Celox erat, *Oueryssel* vocata, cuius patronus *Simon Ianß Hoen* dicebatur. *Oueryssel.*

In his octonis nauibus manus virorum centenorum & sexaginta erat: qui numerati & lustrati seu inauctorati die Martij 9. sunt.

Die 13. Martij cunctis his in naues collectis, Amstelredamo discessum est. *Tempus discessionis Mart. 13. An. 98.*

Die 4. April. *Hollandia* iuxta Enckhusam in arenarum molem impegit: vbi ventorum & tempestatum violentia infestante, malos detruncari opus erat. *Hollandiæ prima calamitas.*

Aprilis. Die 22. April. *Texeliæ* appulimus, vbi octiduum morati, secundum ventum, & mare tranquillum expectauimus.

Maius. Cal. Maij, ad naues recepti, notozephyro spirante bono auspicio *Texelia* soluimus.

Die 3. *Dœueren* præternauigauimus: quo in confini obuiantes quasdam

Beuesir. naues bellicas allocuti sumus. Postridiè *Wicht, Poortland* & *Beuesier* conspicati sumus.

Die 10. In Oceano Hispanico nauis Enckhusana nobis occurrit, ex *Aueren* egressa: quam dein duas post horas pinassa nostra minor iterum insectata est, vt illi literas in patriam perferendas committeret. Quam cum attigisset, 10000. poma aurantia empta ex ista abstulit: quæ posteà viritim inter socios nostros distributa sunt, ita, vt singuli octo acciperent.

Die 11. altitudinem *Barrels* tenuimus: vbi more nautico viri ciciter 25. in naui *Geldria* baptisati sunt.

Die 15. Insulam *Isle de Mad ra* & *Satters* prouidimus.

Die 17. Tempore antemeridiano, *Canarias* Insulas *Gomeram* & *Palmam* præterlegimus.

Die 23. Insulas Salis, *Isle de May* & *S. Iago* præteruecti fuimus.

Die 29. Sex graduum altitudinem tenētes, vela stringere coacti fuimus, quod turbines & procellæ horarum ferè duarum spatio fremerent.

Iunius. Cal. Iunij à nostratibus marina testudo, 143. libras apponderans, capta est.

Die 5. *Gerrit Ianß* Alcmariensis è tabulis celocis maioris in mare se præcipitem dedit.

Die 6. In *Geldriam* nauem piscis volatilis illapsus est, nouo multorum spectaculo.

Die 8. Lineam septentrionalem commodo vento transmisimus: quo tempore sociorum seni vel septeni cantharum vini vnum acceperunt.

Die 25. Quiuis septeni, tres vini cantharos seu mensuras sortiti sunt in symbolum gaudij, quod breuia ad *Brasil*, 18. gradibus à linea septentrionali versus austrum declinantia, exuperassemus.

Die 26. Minor celox propter densam caliginem à nobis aberrauit. Quare motus Almirans, *Hollandiam* nauem, perditam celocem quæsitum & reductum, amandauit.

Die 28. naues versus terram quandam impulimus: à qua nonnihil distantes, scaphas geminas emisimus, de commeatu & necessarijs alijs exploraturas.

Die 29. *Hollandia* cum celoce nobis iterum se iunxit: ad quorum aduentum ex causis certis iudicium in *Gelderland* naui fiebat. Tum temporis maximum volucrum, ciconias magnitudine æquantium, numerum conspeximus.

Iulius. Die 24. Iulij altitudinem *Cabo de bona esperanza* occupauimus, quæ à linea aquilonari gradib. 35. distat.

Die 27. longas arundines seu algas in salo fluctuantes, quarum nonnullæ 20. aut 25. orgias porrigebantur, spectauimus. Aues itidem frequentissimas obseruauimus, quæ certo indicio *Cabo de bona esperanza* vicini sunt.

Die 28. funes anchoris iterum innexuimus: cuius sub noctem tātus turbo concitatus est, vt complicanda nobis vela essent. Sed eodem tamen tempore ex corbe seu specula nauis ignem faculę modo splendidissimum conspicati sumus.

Die

Die 29. A cæteris, quatuor naues aberrarunt & disiectæ sunt: quarũ tres die 30. & 31. sub noctem ad nos redierunt, vna & quarta saltem, quã *Claes Ians Melcknap* de *Hoorn* tenebat, desiderata.

Die 31. sub auroram terram *Cabo de bona esperanza* vidimus.

Die 2. Augusti, dolijs cereuisiæ omnibus inanitis, de aquæ distribuendæ modo deliberatum est, statutumque, vt singuli in dies cyathos aquæ quaternos, & vini ternos acciperent. *Augustus.*

Die 7. Vento austrozephyro valido spirante, cursum nauium inhibere coacti sumus.

Die 8. sub vesperam aër crebris fulgetris & tonitrubus fremebat adeò, vt collectis velis opus esset: qua tempestate valida factum est, vt noctis caligine concurrente, nauis prætoria cum *Hollandia* naui & celoce minore à nobis disijcerentur. *Tres naues tempestatis vi dispelluntur.*

Die 14. Curator & patronus nauium cum vice Almirante cogregabantur, quorũ consilio statutum est, vt deinceps vini cyathum vnum cum dimidio, aquæ verò cyathos sex quotidie singuli acciperent.

Die 15. Locus in plano Oceano à nobis quidam conspectus est, cuius vnda non secus ac in cacabo attollebatur, & ebulliebat, valdè viridis & herbacea: cuius commotionis & efferuescentiæ spatium tantum erat in lõgitudine, quantum sclopeto emissa glans assequi possit: latitudo vero naue longiuscula non porrectior fuerat. Locum hunc impulsis nauibus transiliuimus quidem, sed nullo nostrõ periculo aut incommodo.

Die 17. De quibusdam rebus necessarijs in naui nostra iudicia facta sunt.

Die 18. Vento aduerso impetiti, cursum nostrum intra austrum & ortũ obliquauimus. Hoc die balenarum magnum numerum conspeximus.

Die 20. impetuosæ pluuiæ cum fulgure & tonitru tam fragoso increbuerunt, vt vice Almirantis antenna in tria frusta comminueretur. Sed & hoc ipsõ die ventus conuersus est, vt deinceps cursus noster versus Cæciam institueretur, successu tamen non infelici.

Die 22. *Seelandia* nauis se nobis iterum coniunxit, quam diebus integris 25. desiderauer amus. Sic ergò nobiscum hæc iam quinta pergebat.

Die 24. *Seelandiæ* naui recens malus ex *Geldria* naue promptus est, cum priorem antegressis agitata procellis & tempestatibus sæuis perdidisset & perfregisset. Eodem die terram *S. Laurentij* seu *Madagascar* prouidimus, magno & indicto omnium nauigantium gaudio.

Die 25. igitur terram illam aggressuri, cum angulum eius obiri commodè non posse prouidissemus, anchoras excussimus ab eo tempore primas post quam ex *Texelia* emoueramus.

Die 26. Scaphæ quatuor viris necessarijs munitæ versus terram contenderunt, spectatum, an quid fortè cibariorum nancisci possent. Hi iam littori viciniores cum essent, scapharum vna, viris naui *Sticht* de *Vtrecht* ascriptis onusta, se euertit: quo casu officiarius quidam submersus perijt. Huic nomen *Ian Pamer* ex Amstelredamo erat. Eodem quoque die turbo sæuissimus coortus est, qui littus tenere nostrates prohibuit. Nam & *Seelandia*, & vice Almirans, & celox maior, & *Sticht* de *Vtrecht* naues, singulæ suas anchoras perdiderunt. Nauis verò *Geldria* arido defixa obhæsit.

Die 27. circa auroram leuatis anchoris, vela cęterarum nauium insectationi applicuimus. Vento itaq; commodo & secundo oboriente cursum versus Euronotum reflexímus ad *Cabo S. Sebastian* transmittendum. Quam metam aurora prodeunte nullo dispendio quoque attigimus.

Die 30. *Cabo de Iuliaen* præternauigauimus, cū vento nullo pellente ageremur. Paulo post tamen aduersus ventus cum nubiloso aëre sese intulit.

September. Die 4. Septembr. apud vice Almirantem cum mercatores, tum nautæ omnes conuenerant, deliberatum & statutum, an vela in sinum *Antongil* impellenda forent, an verò recta in *Bantam* agenda. Sententia tamen hac vice, porrò currendum esse, obtinuerat.

Die 5. singuli tres vini cyathos acceperunt, cum aquæ cyathis quaternis. Horum tamen loco pultes suetæ ademptæ sunt, quod aquæ parum iam superesset. Hoc ipso die vento valdè commodo vtebamur, vt versus ortum feliciter naues contenderent.

Isle do Cerne regio montosa. Die 17. Insula quædam nostro conspectui detecta est, *Isle do Cerne* vocata, quæ terram ostendebat valdè eminentem & montosam, vt inueniendæ nobis potabilis aquæ spes non leuis fieret. Iam etiamdum spe hac omnes fruebamur, cum scorbutus paulatim nauigantes infestare occiperet.

Die 18. horis matutinis, cum scaphis binis aliquot sociorum nostrorū ad terram *Isle do Cerne* emissi sunt, qui de refectamentis quærendis occuparentur. Qui, cum diu secundum littoris longitudinem promearent, locum egressui aptum nullum repererunt. Qua causa commissarius eorum ad vice Almirantem contendens, nostram scapham quoque emitti petiit, de aditu commodo inueniendo laboraturam. Hæc septem viris onusta, cum propius in littus impulsa esset, portum accommodum & tutissimum nauibus reperit, 50. nauibus capiendis sufficientem, & contra ventorum omnem iniuriam approbè munitum, & insuper ad firmandas anchoris naues valdè opportunum. Quibus probè exploratis scapha sub vesperam ad Almirantem rediit, ad quam simul octo vel nouem aues grandiores cum quamplurimis minoribus manibus facilè omnibus captatis attulit. Quod verò primarium erat, limpidam quoque ex saxis desuper profluentem vndam copiosam inuenerunt. Quo nuncio nauigantes omnes apprimè gaudio perfusi sunt. Erat autem portus iste omnium pulcherrimus, & ad reficiendas naues largissimus, quotquot in confini illo inueniri poterant. Die itaque postero. 19. ad eandem simul egreßi, fundum anchoris aptißimum inuenimus: quem orgijs 14. occupauimus.

Die 20. populus propè omnis iam in terram expositus erat. Per concionatorē itaq;, qui in naui vice Almirante erat, sermo publicus institutus illic est. *Conciones in Isle do Cerne habitæ.* Hoc connumerato die, iam mensibus 4. & dieb. 20. terram nullam tenueramus: quo ob publicam & solennem lætitiam omnibus vinum duplici quantitate ministratum est, hanc quoque simul ob causam, quod eodem die Amstelredami Encænia seu nundinæ agitarentur. Toto ergò ibidem die quiescentes, prȩterquā binas conciones nihil audiuimus, Deo trino & vni ingētes gratias personantes, quod nos in locum tandem aliquem, nobis exhaustis reficiendis commodum, deduxisset. Huc siquidem si non impulsi fuissemus, certo malo plerisque res ea fuisset futura. Nam & scorbutus iam paßim omnes lancinabat, & aquæ quod residuum in nauibus erat, omnino putescebat, & instar nauteæ sordebat. Hoc ergò loco pro nautarū æstimatione ad 500. milliaria à *Bantam* adhuc aberamus. Insulæ verò nomen *Mauritius* erat.

Die 21. aurora promicante, scapharum nostrarum quædam insulæ metam aliquam obiuit, homines aliquos eam inhabitantes exploratura. Diutius ergò promota, homines quidem nullos reperit, flumen tamen seu riuum limpidum desuper labentem opportunè inuenit, ex quo postea ad vsus necessarios aquam sufficientem hausimus, cum scaphis ad illum aditus pateret commodißimus.

Hac

Hac ipſa in Inſula noſtrates auium tantam multitudinem captaue-runt, vt pro cibo nauigantibus omnibus ſatis eſſent. Ad quas ſi quis propius accederet, immotæ perſidebant, nec loco vel minimum ſe mouere conabantur, vt nullo negotio nudis manibus præhendi poſſent. Quod nobis argumento erat, terram illam deſolatam, nullisq; hominibus excultam eſſe. *Aues manibus captabiles.*

Die 23. Scaphę aliquot minores piſcatum egreſſæ ſunt, retibus illis tenſis, quæ vice Almirans nauis prompſerat. Nam piſcium ibidem ſumma copia viſebatur.

Die 24. E ſocijs aliquot ſcapham littori circumpulerunt, viſuri, an ad regreſſum nauium locus fors pateret alius præter illum, per quem impulſæ erant. Nam ad eandem viam relegendam ventus tum temporis minime commodus ſpirabat.

Die 25. Emiſſitiorum aliquot reuerſi ſunt, nullorum hominum inuentorum nuncio allato. Cętera dies vniuerſa in vaſanda aqua conſumptus erat.

Die 27. Cōcio alia habita ad populum eſt, in quo Indus etiam quidam erat, qui priore nauigatione ex *Madagaſcar* abductus fuerat. Hic attentius audita conicone, Chriſtianam fidem amplexus fuerat, & ibidem quoque ſacro baptiſmo initiabatur, *Laurentij* nomen ſortitus. Poſteà & ſcapha altera redijt, cum nullum locum, tranſmittendis nauibus ſatis profundum reperiſſet. *Indus audita concione conuerſus, Chriſtianus fit & baptiſſatur.*

Die 29. Sociorum quidam, qui terreſtri itinere Inſulam perluſtrabant, redierunt. Hi nihil quicquam offenderunt, præter locum quendam, *Cocos* arboribus conſitum: quarum fructus aliquot ſecum quoque attulerant.

Die 30. Ad *Cocos* auferendos itidem noſtrum aliqui excurrerunt. Hoc die prima panis diſpenſatio incepta eſt, & ordinatum, vt cuilibet in dies panis libra vna cum quadrante porrigeretur.

Die 2. Octobr. Vento optato & commodo flante, ad naues recollecti, illo loco ſoluimus. A quo, cum altius in mare iam emoti eſſemus, ſumma venti tranquillitate orta, ſegnius promouimus, dum eodem tandem valentius aucto, verſus *Bantam* vela omnia dirigeremus. *October.*

Die 17. Butyri partem nouiſſimam diſtributam accepimus. Ventus hoc die ſpirabat rigidus.

Die 28. & 29. Aquam marinam valde albam habuimus, vt à terra aliqua non longius nos abeſſe ſuſpicaremur. Terram tamen nullibi notauimus. Eodem die medio, Solem rectà ſupra verticem noſtrum poſitum habuimus: quod iam altera vice nobis ſimiliter euenerat. *Sol rectà ſupra verticem.*

DESCRIPTIO INSVLÆ DO CERNE,

A NOBIS MAVRITIVS DICTÆ, VERSVS AVſtrum à linea ſeptentrionali 21. gradibus declinantis.



O Cerne Inſula Hollandis Mauritius *dicta, verſus auſtrum à ſeptentrione 21. gradibus ſita, 15. ferè milliarium ſpatium habet. Ad quā qui collimat, intra duos altiſsimos montes impellens, relictis ad dextram ſex minutis Inſulis, profunditatem 10. orgiarum tenere* *Situs Inſulæ Do Cerne.*

nere cogitur. Ad sinistram nostrā alia Insula prospiecibatur, à nobis Insula Heemskerken *indigetata: cuius sinum nomine vice Almirantis nostri, sinum de* VVarvuick *appellabamus. Huius portus amplißimus, capiendis 50. nauibus sufficit, à ventis omnibus securus.*

Insula do Cerne *nunquam habitata.*

Dicta Mauritius *Insula habitabilis non est, nec vnquam habitata fuisse à nostris deprehendi potuit. Nam nec crebris factis excursionibus vestigia illa hominum notari potuere. Sed & ex auium cicuratione colligi licebat idem haud temerè.*

Terra cæteroquin ipsa valdè eminens & montosa est, adeò, vt nubibus plerunque intecta, & halitibus seu fumis tam densis circumdata sit, vt nisi proxima ægrè videri queat. Solum glareosum & saxosum est. Terra penitior arborum feracißima, quæ tanta ibi densitate succrescunt, vt transitus ferè non pateat. Quas verò illa arbores sponte suà parturit, Ebeni sunt, tam generosæ, quam vspiam produci sciantur. Lignum pice fere nigrius, læuius autem polito ebore est. Foris arbor crasso cortice vestita est, in cuius intimis Ebenus clauditur. Eiusdem generis ligna rubentia quoque, vt & alia ceræ modo flauentia reperiuntur: quorū omnium portionē certam nobiscum attulimus, domi pulcherrimam & genuinam repertam.

Ebenus nigra, rubra, flaua.

Palmites arbores.

Ibidem & palmites *nascuntur, ex quibus nos percommodè refecimus. Hæ* cocos *arborum more proueniebant: quarum superiore parte nodus seu caput protuberabat, in quo resecto medullam inuenimus suauißimam, quàm esitabamus, & ex eadem nonnunquam acetaria parabamus, tum ventri purgando, tum eidem roborando vtilia.*

Aër loci probè temperatus & salutaris videtur. Nam cum ægros nostros è nauibus extulissemus, qui sub erectis tabernaculis cubabant: breui spatio valetudini suæ restituebantur. Omnibus ergò simul in terram collectis, concione habita, Deo laudes & gratiæ peractæ sunt, quod ad locum tam commodum & salubrem nos deduxisset: quem nisi arripuissemus, nostrum forsan pauci confecti itineris testes esse potuissent:

Preces nautarum.

sunt: cum & scorbutus iam plerosque eneruasset, & aqua nostra residuum omne computruisset: cum 4. mensibus integris & diebus 20. terram nullam tenuissemus. Quantoperè ergò de aqua ibi reperta omnes gauisi sint, opinari facile sit. Sed & rete, quod vice Almirans ministrabat, nobis diuino auxilio erat. Quo vna captura tantum piscium extraximus, vt illis binæ tonnæ cum dimidia complerentur, nec rete facilè in aridam pertrahi posset. Hic ergò commeatus quotidie certissimus suppetebat: adeò, vt seruari non vniuersus posset. Inter pisces cæteros Raiam tam grandem & insignem captauimus, vt bina fercula vniuersis nobis præberet. Insula piscosissima. Raia grandis.

Testudinum illic tanta moles est, vt super vnâ stantes nostrum quatuor, facile ad gressum eius promoueremur. In testa vnius, decem nostrum considentes epulati sunt. Testitudines prodigiosæ.

Insula dicta præterquam quod terræ nascentibus feracissima sit, volucres etiam copiosissimas alit, vt sunt, Turtures, qui tanta ibi copia obuersantur, vt terni nostrum dimidij diei spatio 150. aliquando cæperimus, plures facilè prehensuri manibus aut cæsuri fustibus, si illorum onere non nimium nos pressos sensissemus. Cærulei quoque psittaci ibi frequentes sunt, vt & aues aliæ: præter quas genus aliud quoque grandius conspicitur, cygnis nostris maius, capitibus vastis, & pelle ex dimidia parte q. cucullis inuestitis. Hæ aues alis carent: quarum loco tres quatuorue pennæ nigriores prodeunt. Caudam constituunt pauculæ incuruæ pennæ teneriusculæ, colorem cineris referentes. Has nos WValckvögel *appellitabamus, hanc ob causam, quod quo longius seu diutius elixarentur, plus lentescerent & esui ineptiores fierent. Illarum tamen ventres & pectora saporis iucundi & masticationis facilis erant. Appellationis causa altera erat, quod turtures ibi optabili copia nobis sufficerent, saporis longè gratioris & suauioris. Volucres porrò & aliæ ibi aluntur, esui apprime idoneæ* Rabos forcados *ideò dictæ, quod forficis in modum diductas caudas haberet. Hæ ita mites erant, vt in nidis considentes, facile vel manibus caperentur, vel fustibus cæderentur: adeò, vt semihorulæ spatio, si libuisset, illis cæsis integram scapham complere* Volucrum mira copia & captura. Turtures. Psittaci cærulei. Walckvögel. Rabos Forcados.

potuis-

potuissemus. Ex qua dictarum volucrum natura colligere licebat, nullos ibi unquam homines victitasse, cum ad nostram præsentiam adeò non pauescerent, ut parum abesset, quin capitibus quoque nostris insiderent. Fabrica ferraria. *Fabricam hoc loco ferrariam extruximus, qua faber ferramenta quædam necessaria aptabat.* Scapha parata. *Sed & pro naui* Vtrecht *scapham extruximus, eius locum seu officium obituram, quæ ad* S.Laurentium *perdita adhuc desiderabatur. In eadem quoque Insula ceræ libras 300. circiter inuenimus, in qua literæ Græcanicæ exaratæ legebantur. Insuper & instrumenta quædam nautica reperiebamus, cum reti grandiore: ex quibus omnibus signis, nauem aliquando ibi quandam fractam & submersam esse colligebamus.*

Tabula erecta. *Hac ipsa in Insula vice Almirans tabulam quandam ligneam excindi curauit, quæ arbori cuidam affigebatur, ut, si quæ fors in posterum eo naues appulsuræ essent, Christianos homines ibidem quoque fuisse cognoscerent. Tabulæ verò hæ literæ insculpebantur,* Christianos Reformatos: *quibus insignia addebantur Hollandicum, Zeelandicum, & Amstelredamense.*

Eodem loco planities quædam spatiosa erat, aggere Amstelredamensi quadruplo latior: cuius partem quandam vice Almirans subigere, & omnifariis fructuum seminibus conserere iussit, ut periculum faceret, an terra isthæc productura esset, quæ posteà eo impulsis nauigantibus aliis ad refectionem usui forent. Gallinas quoque ex nauibus exemptas illic aliquot emisimus, ut loco illi assuescentes, genus suum propagarent & multiplicarent.

Ex numero nostro aliquoties emisimus, qui de habitatoribus Insulæ percontarentur & explorarent. Sed etsi horum nonnulli integro triduo aut quatriduo emansissent, reuersi tamen nec homines ullos, nec quadrupedes se vidisse nunciarunt.

Excursoria descriptio trium nauium à cæteris dispulsarum. Hîc interrupta historiæ serie commonefaciendus lector est, naues octo vniuersas ad *Cabo de bona esperanza,* vsq; coniunctas processisse, dum tandem hoc loco importunis Oce-

ceani procellis & aëris frequentibus turbinibus disiectæ fuissent. Factum hoc est die 8. August. Ann. 1598. Ab vna ergo parte coniunctæ manebant hæ 5. naues *Amsterdam*, *Seeland*, *Geldria*, *Vtrecht*, & celox maior *Vrieslandia*. Hæ in Insulam *Mauritij* aspellebantur, vbi dies 14. integros restitabant. de cæteris tribus, *Mauritio*, *Hollandia*, & celoce minore *Ouerysfel*, quo flexerint, nihil quicquam scientes. Hæ tamen vna in Insulam *S. Mariæ* applicuerant, & hinc porrò in *Bantam* vela fecerant. De his itaque tribus nauibus, quid in *S. Mariæ* Insula, & deinde in *Banta*, porroque in reditu suo versus Hollandiam sustinuerint, breuiter & strictim commentari lubet.

Principiò, cùm tempestatis sæuæ violentia à cæteris quinque auellerentur, in *S. Mariæ* Insulam delatæ, illius loci Regulum captiuarunt: quem deinde liberatum, pretium redemptionis vaccam cum pingui vitulo postularunt. Insula hæc, cum intempestiuè appulissent, rerum penè omnium sterilis inuenta erat. *Rex Inf. S. Mariæ capitur.*

Nam & aurantia poma florebant primum, & limonia tenuissima copia prouenerant. Cannarum saccharinarum, vt & gallinarum parum supererat. Itaque aurantijs aliquot acceptis, inanibus redeundum fuit.

Capturam ibidem piscium mirabilem videre licuit. Indorum aliquot vna *Canoa* se congerebant. Hi, cum balænam quampiam alicubi stabulantem obseruassent, nauiculam suam propius adigentes, in patens illius corpus ferreum hamum eiaculabantur, forti ex corticibus arborum fune reuinctum & deligatum. Balæna, cum se læsam sensisset, violento impulsu aquam tranauit: cui Indi funem tantisper sequacem remittebant, dum extremitas eius nauiculæ adhæresceret: quam piscis raptu suo tanta facilitate protrahebat, vt iam Indis omnis balenæ impetus sequendus esset. Qui tamen, natandi summa peritia audaciores, impetum istum ne flocci quidem faciebant, etsi nauiculam scirent totam euersum iri. Hac ergo lucta & discursatione diutius continuata; cum tandem balæna eneruaretur, & robur quoque maximum largo ex vulnere sanguinis profluuio perderet: eius compotes facti Indi, domitam in littus extrahebant, & adactis instrumentis penitus confectum diuisumque inter se partiebantur, quouis, quod satis sibi esset, auferente. *Balænarum captura.*

Nobis quoque illius carnis auferendæ libertas erat: quæ tamen, cum adiposissima & oleosissima esset, magnopere non desiderabatur.

Hinc deinde ad sinum maiorem *Antongil* vela fecerunt, vt ibi dolia recenti vnda complerent. Ibidem ductor eorum Indus, *Madagascar* dictus, cum dimittendus & exponendus esset, nemini se illic notum esse, causabatur, subnuens, malle se nobiscum probè vestitum portendere, quam ibi nudum oberrare.

Scapham ergò nostram per aduersum flumen impellentes, quæ ad naues instruendas & reficiendas necessaria videbantur, quæsitum pergebamus.

Et licet nutibus signisq; datis incolæ nos adhortarentur, vt viã relegentes, frustaneo conatu porrò nos nõ proferremus: nihilominus tamẽ rem ipsam cognituri ad tria milliaria perreximus, tantisper, dum nos frustra omnia moli-

ri præsenter contueremur. Huius verò inopiæ hæc causa erat, quod regionum istarum reguli paulo antè signa contulissent, & mixtis prœliis omnia passim depopulati fuissent: adeo, vt & incolarum haud pauci inedia deficerent. Bellantium regulorum istorum vnus in acie occubuerat. Hinc itaque, cum diebus quinque immorati fuissemus, properè iterum soluturi ad naues refluximus, cursum versus *Iauam* arrepturi. Quam etiam diuina fauente clementia breui tenuimus, infra *Bantam* applicantes cum ternis nauibus, Almirante seu prætoria *Mauritio*, cui patronus *Gouart Ians*, & curator *Cornelisz Heemskerck* præerat: *Hollandia*, *Simoni Lamberts Mau* patrono; & curatori *Sanct. Vte Nyn*, qui posteà ad *Bantam* diem obijt, & successorem *Ian Ians Smit* habuit, subdita: & tertia celoce minore *Oueryssel*; cuius patronus *Simon Ians*, curator verò *Arent Hermans Alckmariensis* fuerat. Harum verò vniuersarum Almirans seu summus præfectus *Iacobus* de *Neck* præerat, cuius dicto omnes attendebant. Hæ, inquam, dictæ naues, 26. Decembr. Ann. 1598. tempestiuè in *Bantam* peruenerunt. Vix ad hanc ciuitatem consederamus, cum tempestiuè citraque moram indigenis oblata familiaritate nos insinuaremus. Nauicula etiam properè *Heemskerck* se ad incolas efferebat, vt cum iis commercia ordiretur. Ipsi tamen nobis non per omnia fidem stipulantes, nos prædones eos esse suspicabantur, qui priore anno profugissemus inde, & intereà temporis in alto mari delituissemus. Qua in opinione cum à Lusitanis confirmarentur insuper, nos prædones publicè insimulare nihil sunt veriti. Cui tamen calumniæ diluendæ officiarij nostri sedulam operam nauabant, & *Abdol* interpretem Indicum, quem secum attulerant, in littus emittebant, qui causam eorum ageret, & fidem suam incolis stipularetur. Sic ergò ex nostratibus selectos quosdam cum munusculis emisimus, quæ pro more loci & negotiatorum, Regi exhiberent offerrentque. Rex verò loci cum adhuc infans esset, per Gubernatorem ciuitatis, Cephaten, cum magnis gratijs munera nostra accepit, quæ erant, poculum nimirum inauratum, cum fascibus aliquot holoserici, & serici simplicioris, vitra elegantia & pretiosa, specula inaurata, & his similia. Vna cum his apporrigebantur quoque literæ statuum & principis *Mauritii* sigillis munitæ, quas cum solenni reuerentia, supra terram more patrio reptantes, acceptarunt & legerunt.

Quo tempore tres naues in Bantam venerint.

Hollandi Regi munera sua exhibent cum diplomatis.

Cephates pro Rex.

Rebus ergo hoc pacto necessariis omnibus confectis datis, paulatim ad commercia cum *Bantanis* struenda sese contulerunt nostrates, ita, vt quarta illico die naues mercibus onerare inciperent, & septimanarum quatuor vel quinque spatio id negotium vniuersum absoluerent. Ibidem vero cum iam septimanis quatuor substitissemus, quinque illæ naues, quæ pridem à nobis desiderabantur, probè instructæ, in *Bantam* appellebant, saluis plerisque & nullis vel saltem paucissimis infirmis existentibus.

Perditæ naues in Bantam feliciter appellunt.

Quas nostrates vexillis suffixis, & tormentis multoties displosis cum effuso gaudio accipiebant. Incolæ quoque scaphis suis nos adeuntes, magnum numerum gallinarum, ouorum, *Coquos*, *Bonanas*, cannarum saccharearum placentarumque ex oryza coctarum afferebant, die nullo intermisso, quin id studiosè continuarent. Hi pro stanneo cochleari vno, tantum nobis commeatus suggerebant, quantum alendo viro vni integra septimana sufficeret.

Haudquaq̄ ex vsu & re nostra fuerat, quod *Abdol* noster prænunciasset, post nos naues quoq; alias restites esse, & ab his nouas ex Zeelãdia quoq; appulsuras. His enim cognitis, Indi adducti sũt, vt pro 55. lib. piperis primo tres, deinde quatuor Regales octonorũ à nobis extorquerẽt, nec deinceps quicq̄ aliud quã Regales octonorũ vociferari scirẽt. Sed & fastiditis iã nostris mercib. soli pecuniæ inhia-

Piperis pretium cur auctum.

inhiabant. Indi indicaturi quinque adhuc naues breui affuturas, quatuor digitos, cum quinto pollice tollebant, & *Lima Scephen* acclamabant. *Lima* siquidem patria illorum lingua quinque significat. Ex quinque nauibus illis posterius aduenis, celox maior *Vrieslandia* cuius patronus *Iacobus Corneliß*, curator verò *Wouter Willekens* erat, & ipsa in Hollandiam nobiscum itura onerabatur. De suo ergò parato abitu ad incolas nunciari curauerant, vt suam quisque solutionem acceptum veniret. Qua præstita, vbi oryzam & aquam necessariam intulissent, in *Sumatram* portenderunt, vt illic meliorem aquam inuasarent. *Bantana* etenim limi instar albida erat, & breui spatio vermiculosa fieri solet. In *Sumatra*, pro cultellis, cochlearibus, speculis, crotalis & aciculis, res varias, & fructus omnis generis, vt melones, cucumeres, acetum, allium, & piper (sed hoc minore quantitate, attamen oppido probū) permutabant. Diebus paucis antè quàm discessissent, cæteræ naues in *Moluccas* Insulas cursuræ, illis valedicentes, sub ipsam noctem cum tanto bombardarum fremitu discessionem fecerunt, vt præ trepidatione repentina *Bantani* ad arma concurrerent. Cum tamen postmodum intellexissent, honoris & valedictionis nomine ista fieri, de abitu illarum valdè gauisi sunt. Nam satis omnia non tuta existimabant, ad portas eorum octonis tam probè armatis nauibus excubantibus. Nos quoque indies de abitu nostro sollicitabant. Quod vt possemus commodius, nauibus nostris omnia petita inferre festinabant, saltem vt citius illo loco expediremur.

Quatuor naues Banta discedunt.

Quatuor aliæ in Moluccas eunt.

Ab his dein cæteræ quoque naues quatuor, in Hollandiam ituræ *Banta* discesserunt, quæ breui tempore Insulā *S. Helenæ* tenuerunt: in qua integrum octiduum ad se recreandos & reficiendos morati sunt. In hac Insula effigies *S. Helenæ* stabat, iuxta quam etiam cacabus consecrata aqua plenus cum penicillo conspiciebatur. Quæ omnia inuiolata relinquētes, saltem nomina sua in rei memoriam assignarunt.

Insula hæc (attestante *Ioan Huygen*) rerum necessariarum omnium abundantissima est: vt quæ damas quoque & capras, & apros, & perdices, & columbas magno numero alat. Hæc tamen animalia crebris nauium ibi appellentiū effulminationibus ita fugantur, vt captu difficilima hodie sint. Sed nec pisces ibidem tanta à nostris copia captari poterant, quanta vsibus nostris sufficeret. Aquæ tamen tantum inuasauimus, vt illa in Hollandiam vsque nobis sufficeret.

In eadem quoque Insula *Petrum Gysbrechtsz*, nautarum primarium in celoce maiore exposuerunt & deseruerunt, quod suæ nauis patronum percussisset. Quem etsi plerique intercessionibus factis liberatum cuperent, nihilominus tamen in exemplum aliorū hac pœna omnino plectendus fuerat. Exposito tamen panes aliquot, & nonnihil olei oryzęq; communicarunt, & præterea ad captandos pisces hamū, & ad figendas feras sclopetum cū parte pulueris pyrij addiderunt. Sic ergò hoc deserto abierunt, sperantes eum breui liberatum ab ijs nauibus iri, quæ hac omnes transire coguntur, quotquot in Indiam Orientalem nauigant. Hinc cum parum promouissent, nauem illico quandam, quam Gallicam existimabant, ad eandem Insulam contendentem prouiderunt, cum qua ipsum simul iturum, spem sibi faciebant.

Petrus Gysbrechtsz expositus.

Hinc tandem Ann. 1599. Iulij 19. die, nullo obstante infortunio in Texeliam feliciter applicuerunt; pro cuius nauigationis felicissima confectione Deo æterno Laus & Gloria infinita sit.

4. Naues Texeliam feliciter redeunt.

Nam ab omni illo tempore, quo Hollandia viguit, tam felices & opulentæ naues sibi nunquam applicuerunt antea. Aduexerant enim piperis onera 400. Garyophyllorum onera 100. Nucum myristicarum, macis, cinnamomi

quantitatem maximam: & quod præcipue notandum est, totum hunc cursum citius mensibus 15. confecerant. Nam, postquam *Texelia* primò soluissent, mensibus septem nauigarunt, dum ad *Bantam* consedissent. Ad *Bantam* septimanas sex detriuerunt. A *Banta* soluentes, dum in Hollandiam redijssent, menses sex impenderunt. Quæ illorum cursus meta, si pro aditu & reditu geminetur, 8000. milliaria constituit.

Qui mercatores naues has instruxerant, cognito illarum reditu, *Texeliam* illico se contulerunt, vt necessaria omnia adornarent, & populum infirmiorem reficerent.

Illarum curator *Cornelis Heemskerck*, & *Henricus Buiick* nulla mora facta expedite se quoque ad principem *Mauritium* contulerunt, vt & itineris successum eidem denarrarent, & simul Iauanorum Regis literas cum pretiosis honorarijs exhiberent.

Die 27. Iulij, Almirans cum naue *Hollandia* ad ciuitatem Amstelredamum appulit, tubarum clangore quoquouersum perstrepente. Huic ciuitatis nomine vinum honorarium oblatum, adeoque pro gratulatione campanæ omnes impulsæ fuerunt.

Hæc illarum nauium historica relatio sit, quæ pridem à quinque reliquis tempestatum vi disiectæ fuerant. Nunc de ijs quinque, quæ coniunctæ manserunt, qua nimirum fortuna vsæ fuerint, nonnihil dicamus.

Nouember. Cal. Nouembr. dubia tempestas, & ventis & imbribus impetuosa coorta est: qua nocte vice Almirans cum celoce maiore turbinum & procellarum vehementia à nobis disiectæ sunt.

Die 3. eædem naues ad nos se receperunt. Hoc aues quamplurimas vidimus, vt & ligna frequentia supra vndam fluctuantia. Noctu quidam in naui *Sticht* de *Vtrecht*, fato suo functus est: qui omnium primus erat ex populo, qui moreretur nostro.

Die 6. à meridie turbo quidam nauem nostram corripiens, haud leue ei periculum intentabat. Eius hæc natura est, vt collectam è mari aquam secum attollat, & quamcumque nauis partem prehendat, vnà secum abripiat. Funes itaque nostros confestim collegimus, ne pansi nobis dammo essent. Cum verò nauis antennæ demitterentur, restiarius noster, *Iost Ians* Amstelredamus, è naui despiciens, num fortassis funis quidam è naui in aquam propenderet, visurus erat. Cum itaque exerto capite ita iaceret, antenna maior desuper in eum delapsa & deuoluta, cranium illi comminuit & perfregit, ex qua plaga illico mortuus est. Hæc prima calamitas fuerat, quæ nauigantes nostros attigerat. Postero die eundem ex nauibus exturbauimus.

Die 9. eius bona, ante malum, more nautico diuendita sunt. Hoc ipso die noua olei dispensatio occępta est. Modus is erat, vt singuli singulis septimanis eius mensuras binas minores acciperent.

Die 12. vice Almirans nauem nostram adijt, vt iudicium, quod primum fuerat, ageret. Eodem die Insula quędam conspectui nostro oblata est; ad cuius terram sub noctem quam proximè appingebamur, citius, quam obseruari aut caueri posset. Nam valde ea humilis & pressa iacebat. Cæteris ergò tormento eliso signo dato reflectentes, via tutiore perreximus.

Die 13. Cum tres aliæ Insulæ minores nobis offerrentur, circa vesperam minorem *Pinassam* nobis præcursoriam emisimus, vt de aditu Insulæ perquireret.

teret. Sed terra multo incõmodior erat, quam vt nauibus accessum præberet. Conuersi ergò porro procurrimus. Sub noctis primum quadrantem bolide missa orgias 20. obseruauimus. Qua denuo emissa, 15. Tertiò, 11. Quarto 9. tenuimus. Hæc dum ita agerentur, insperato se iusta nobis profunditas iterum præbuit. Nihilominus tamen trepidi pergebamus, valdè metuentes, ne fluctus, qui intra Insulas præcipitatissimus se ingerebat, impetu naues nostræ abreptæ præcipitijs terræ illiderentur.

Die 15. Iterum profunditatem filorum tredecim tenuimus, nulla tamen vllibi terra conspecta. Quæ res nobis certæ admirationi erat, qui fieri posset, vt in medio mari fundus tam altus esset, cum vicina nulla terra firmaretur. Hoc ipso die ventum secundum nacti, plenis velis procurrimus.

Die 16. Insulam quandam versus austrum & aquilonem porrectam conspicati sumus, terram ad aspectum valdè amœnam.

Die 22. Vento impetuoso oborto, vela constringenda fuerãt. Sub noctem crebris fulgetris aër coruscauit.

Die 24. Vice Almirans, vt nautas omnes ad nauem suam conuocaret, & de via porrò tenenda cum illis deliberaret, aplustre suum volare fecit.

Die 25. 26. & 27. summa pellacia erat. Circa vesperam auster austroeurus coortus, cursum nostrum intra Ortum & meridiem impulit.

Die 28. Ventus iterum impetuosior spirabat, aëre tamen sereno & claro. Sub noctem Zephyrum spirantem habuimus.

Die 30. Concionator vice Almirantis in naui nostra concionem habuit.

Calend. Decembr. vento optato & secundo vsi sumus. Hoc ipso die infumatam carnem esitare incepimus, bonam adhuc & sapidam. *Decemb.*

Die 2.3.4.5.6.& 7. Partim pellacia, partim dubio vento, eoque valdè gelido, nonnunquã pluuiis permixto vsi sumus. Hoc die herbam quandam, quam *Klaptmutsen* vocabamus, magna copia fluctuantem obseruauimus; quæ nobis indicio terræ alicubi propinquæ erat. *Klaptmutsen herba.*

Die 8. Ventus dubius, pluuiæ, tonitrua, pellacia mixtim erant. Circa vesperam aër gelidior euasit, vento fauonio spirante. Hac nocte piscis volans in nauem nostram illapsus est.

Die 9. Vento occidentali flante, intra Orientis & meridiei medium direximus. Circa meridiem nauta quidam è malo elapsus, suffocatus perijt. Huic nomen erat, *Garbrandt Iacobs Alckmariensis.* Sed & tignarius quidam hoc ipso die è tabulis elapsus, idem fatum habuit. Hic *Tymon Ianß Amstelredamensis* vocabatur. Eodem die in vice Almirante naui quidam obijt, vt & alius in celoce: adeò, vt perditis quatuor viris hæc nobis dies funesta fuerit.

Die 10. Vento secundo continenter promouimus. Sub diei medium gradus octo versus lineæ septentrionalis austrum tenuimus.

Die 14. Continuante eodem vento, aues plurimas, vt & spumam in mari copiosam vidimus. Vnde concludebamus, à terra nos non longius abesse.

Die 15. Ingentes angues vidimus: & pisces quamplurimos, *Bonytes* dictos, captauimus.

Die 16. merces quamplurimas in mari fluctuantes contuiti sumus.

Die 21. Cum vice Almirantis scapha ex causa ad nostram nauem accessisset, derepente importuno vento nimbis permixto coorto, vela nobis constringenda fuerant, & scapha, priusquam crebris illisibus mergeretur, in nauem recipienda. In qua attollenda & attrahenda dum occuparemur, prora eius crepans, in mare excidit: cum qua postquam & officiarius quispiam elapsus esset, suppetiis ei mature allatis, facile seruatus, & extractus est.

Die 25. sub ipsam noctem, tribus fere ante solis exortum horis, tempestate

procellosâ & nimbosa concussi, vela stringere coacti fuimus. Postero die ex omnibus binæ tantum naues comparebant. At circa vesperam tamen rursus omnes conueniebant, Luna adeò obscura & tenebrosa, vt prospectus ferri quam minimum posset.

Die 27. Vela rursus explicauimus, vt meta præsumpta curreremus. Ventus tum temporis Zephyroaquilo perflabat, aëre alias satis claro & sereno. A meridie, Insula, *Isle de Gano* conspectui nostro oblata, magnum omnibus gaudium suscitauit. Nocte media, valida eademque aduersa tempestate horarum duarum spatio retro pulsi commodiore postea vēto oriente, cursum nostrum relegimus, & Sumatræ continentem arripuimus.

Insula de Gano.

Die 28. Ante meridiem *Sumatræ* continens nobis detecta est, cuius terra aliàs elata & alta, in accessu tamē & aditu pressior humiliorq; visitur. Integro die isthoc versus Euronotū decurrimus. Cum vero celocis gubernator regionem hanc sibi notissimam profiteretur, suasu eius austroeurum adnauigauimus. Postero die, subitanea tempestas, imbribus & ventis horrida, cum aëre valdè obscuro, nos sollicitauit. Circa vesperam, celox cursum suum sistens, cæteras naues præstolabatur, vt cum illis consilio communi vteretur. Velis itaque omnibus reconditis, passu lento promouimus, vt sub diei exortum saltem vadum teneremus.

Die 30. Circa auroram viam *Sundæ* triuimus. Ad diei medium 4. vel 5. nauiculas in littore prospeximus: quæ tamen ad nos propter venti validi impulsum, & fluctuum altorum strepitum accedere minime poterant. Coacti itaq; terram illam tenaciter occupabant. Eodem die nauium omnium tormenta purgata & polita sunt. Circa vesperam anchoras, interuallo à *Bantam* vnius milliaris, intra duas Insulas extorsimus: cum sub noctem ad ciuitatem applicare inconsultum videretur.

Die 31. viæ reliquum versus *Bantam* emetiri cæpimus. Intereà scapha quædam 4. viris acta, à tribus nostratibus nauibus, appulit. Hi nunciabant, quod naues Almirans seu prætoria, *Hollandia*, & celox minor iam dudum in *Bantam* appulissent, & mercibus necessariis omnibus se instruxissent, cum mēsem integrum diesque quatuor ibidem iam excubuissent. Quod publico gaudio & gratulatione ab omnibus acceptum est. Circa meridiem itaque & nos cum quinque nauibus ibidem applicuimus, narrationibus mutuis factis noscentes, ex omni populo omni isto tempore vltra viros 15. non obijsse. Eodem illico die incolæ magno numero ad nos se effuderunt, afferentes gallinas, oua, & cibaria refectoria huiusmodi quamplurima, quod nobis visu rarum erat.

In Bantam naues quinque cætera appellunt.

Calend. Ian. Ann. 1599. esculenta iterum plurima ad naues nostras, allata sunt, quæ pro mercibus aliis permutarentur.

Die 2. & 3. *Prauui* seu nauiculæ multæ cum mercibus aliis nos accessērunt, cum quibus, quod visum erat, permutauimus.

Die 4. Almirans naues vniuersas obiens, de diuidendis nauibus consilium dabat, ita, vt illarum quatuor proximè domum redirent: cæteræ verò quatuor cursum in *Moluccanas* Insulas raperent. Hoc ergò sic statuto, nauis Amsterdam vice Almirans, nouiter Almirans seu prætoria designabatur. Nauis autem *Geldriæ* curator *Iacobus Heemskerck* vice Almirans ordinabatur. Porrò *Corneliß Ians Fortuijn* cū celocis patrono *Ian Corneliß* in nauē *Melcknap*: huius vero patronus in nauem Amsterdam translati sunt. Pari modo & nauis *Sticht de Vtrecht* curator in celocem maiorem transpositus erat. Gubernator verò nauis Amsterdam in celocem eandem translocatus est. Celocis vicissim gubernator in nauē *Amsterdam* ordinatus cessit. Hæc prætoria nauis earum erat,

Quæ naues Moluccas aditura.

quæ

quæ in *Moluccas* Insulas cursuræ fuerant.

Die 5. 6. & 7. Continenter incolæ varia nauibus nostris aduexerunt.

Die 8. Circa vesperam, cum 4. nauibus in *Moluccas* Insulas abituri, *Banta* soluimus. Naues verò hæ erant. Prætoria *Wibrant Warrevuicks*, subprætoria *Iacob Heemskerck*: *Zeelandia*, *Iani Cornelisß*: *Vtrecht*, *Iani Nartsß*.

Die 11. Riuum salientis vndæ intra *Bantam* & *Sakentram* optimum attigimus. Hic à *Sakentra* ternis ferè milliaribus abest, è cuius opposito duæ Insulæ prouisuntur: à quibus iterum 5. aliæ Insulæ spatio milliaris dimidij distantes conspiciuntur.

Die 12. In vasanda aqua strenui perreximus: cum binis nauibus ad commeatum & cibaria comparanda præcurrendum esset. A meridie cum aquæ satis importatum esset, nauem *Melcknap* loco illo emouimus. Circa auroram ante *Sakentram* interuallo milliaris vnius anchoras fiximus.

Die 13. Sub diei exortum *Sabander* ad nos cum *Prauuo* naui appulit, cuiusnam rei gratia istuc venissemus, rogitans. Cui cum vice Almirans, commeatus coëmendi & comportandi gratia se istic morari respondisset, retulit ille, copiam ibi sufficientem prostare: & simul honorarij loco fructum quendam *Mangenas* dictum nobis obtulit. Pro quo, ne ingrati videremur, ipsi vicissim speculum, cum vno aut altero vitro, reposuimus. Circa meridiem littus relegit: cum quo ex nostris officiarijs bini ad commeatus copiam parandam vnà egressi sunt. Circa vesperam prætoria nauis & *Sticht* de *Vtrecht* nobis quoque iunctæ sunt.

Die 14. mane scapha vna in littus emissa est, vt plus annonæ pararet. Ad vesperam ad naues remeans, Almiranti bona plurima aduexit, cum tauro, quem Rex Almiranti donasset. Hic æquis partibus in quatuor naues distribuebatur. *Vice Almirans tauro donatur.*

Die 15. Iterum aliæ scaphæ commeatus gratia emissæ sunt. Quæ cum à meridie redijssent, eo loco soluentes porrò vela fecimus.

Die 16. Manè, cum aër valdè caliginosus esset, & collis tribus à *Sakentra* milliaribus distans à nobis ægrè prospici posset, anchoras iactauimus. Circa meridiem ijsdem leuatis, perreximus. Vesperi easdem denuo excussimus.

Die 17. Vento Aquilo Zephyro perflante, & aëre puro claroque micante, vela promouimus.

Die 20. bono manè Insulam quandam *Lybock* dictam conspeximus. Hinc bono vento cursum porrò concitauimus. *Ins. Lybock.*

Die 21. Curatores & officiarij nauium in prætoriam conuocati, senatum coëgerunt. Eodem die naues versus terram proximam egimus, & sub noctem iuxta oppidum quoddam *Tuban* dictum consedimus. *Hollandi ciuitatem Tuban tenent.*

Die 22. Duæ scaphæ cum viris aliquot & binis officiarijs emissæ sunt, exploraturis, an quid ibidem annonæ parari liceret. Hi circa vesperam redeuntes, nobilem virum, natione Lusitanum quidem, sed qui in gratiam incolarum fidem Christianam abnegasset, secum aduexerunt. Is *Rengar* dicebatur. Vbi cum Almirante nostro colloqueretur, significauit, si mensibus 3. vel 4. ibi morari nobis placitum esset, tum pro omnibus nauibus nostris merces abundanter sufficientes in parato futuras, quantum votis extremis sollicitaremus.

Die 23. Manè iterum emissi sunt, qui oryzam & necessaria alia mercarentur. Hi sub vesperam reuersi, oryzæ saccos circiter 19. ad nauem prætoriam aduexerunt, quos omnes Rex nauibus muneri dabat, pro ijs honorarijs, quę pauca & leuia quidem, sed tamen gratissima illi miseramus. Sub eius diei vesperam passim in vicis omnibus homines oberrantes plurimos vidimus, gladijs suo more ornatè succinctos: inter quos multi quoque nobiles equites erant, *Regis Tuban liberalitas.* *Nobilium in Tuban industria.*

rant, qui regendis & ad equestria ludicra incitandis caballis valdè industrios se præbebāt: qualia spectacula pulcherrima in foro publico exhibita vesperi vidimus. In hocoppido frequentia & liberrima commercia agitantur vendendis emendisque omnis generis pannis, sericis & lineis, vndulatisque ac his similibus: nec minus quoque vestibus, patrio more sartis & concinnatis. Annonæ quoque omnis varietas ibi venum exponitur. Nobilium, qui ibi ditissimi habitant, multa frequentia est, commercia amplissima vendendo pipere agitantium. Hoc *Ionckis* impositum ad ciuitates alias efferunt.

Die 24. Duæ scaphæ maiores cum aliquammultis socijs nostris, ad acceptandum regem emissæ sunt. Nam se venturum, & naues nostras cōtemplaturum spoponderat. Maioris itaque honoris gratia cum illis ipse quoque vice Almirans egrediebatur. Hi cum in terram egressi essent, vice Almirans in palatiū Regis deductus est, & eidem commonstratum tum gynæceum regium, tum vniuersi illius equi, qui pulcherrimi & expeditissimi stabant. Circa meridiem vice Almirans cum regis filio ad naues nostras redijt, cum vna prodire rex ipse tergiuersaretur. Ille cum vespere appropinquante ad terram rediret, honoris gratia decies sexies tormenta, quæ in nauibus erant quatuor, displosa sunt. Quare singulatiter ipse gauisus dicitur.

Vice Almirans vt à Rege honoratus sit.

DESCRIPTIO CIVITATIS TVBAN, IN INSVLA IAVA MAIORE SITÆ: AD QVAM die 22. Ianuarij Ann. 99. appuleramus, commeatu ministrando valdè opulentam.



Vban ciuitas mercatoria pulcherrima & opulentissima est, muris quoquoversum in ambitu cincta, & portis aliquot singulari specie ibidem extructis, probe munita. Rex illius ditissimus, & potentissimus in omni Iaua censetur, sicut ex incolis id cognouimus. Nam quoties expeditionem meditatur, viginti quatuor horarum spatio millenos aliquot instructos viros, tum pedites, tum equites, numerare potest. Multis semper nobilibus stipatus visitur: cuius aula vere regia, adeoque visu dignissima est.

Rex Tuban in Iaua potentissimus.

Ciuitas hæc à plurimis nobilibus incolitur, qui vendendis & emendis sericeis, vndulatis & xylinis tum pannis, tum vestibus industriè & ex more patriæ eleganter formatis, amplas negotiationes tractant. Ipsorum naues Ionckos *vocant. Hos pipere onustas in* Balyn *emittunt, quod ibidem pro vestibus & pannis gossypinis commutant. Vestibus deinde pro pipere acceptis, porrò in* Bantam, Ternatim & Philippinam, *loca-*

Tubanorum qualia cōmercia.

locaq; alia his finitima nauigant, & easdem pro mace, nucibus myristicis, Garyophyllis & aliis aromaticis denuò permutant, quæ domum deinde secum aduehunt. Plebs piscatu ferè & pecorum pastu victum parat. Nam omnis illa regio pecoribus abundat: quæ mane in pascua acta, vesperi demum ad præsepia redeunt. Vestitu cum Bantanis *eodem vtuntur, panno nimirum lumbis illigato, & desuper pendulo. Corpus superius nudum & detectum habent. Ex dorso pugiones,* Cris *dictos, suffixos gestant. Nobiliores tunicas plerunque vndulatas ferunt, quibus haud modicè superbiunt. Sed & pugionibus suis valdè expediti & minaces sunt. Qui stemmate nobiliore prognati sunt, hi non nisi multis ministris & mancipijs stipati ambulant, adeò, vt ne fores quidem egrediantur, quin pedissequos illicò denos aut duodenos secum habeant. Quocunque prodeunt, cistula folijs Bettele plena ipsis comes est. Hæc cum viridibus nucibus & calce mandunt. Miscella* Ladon *dicitur: quam tam diu masticant, dum omnem succum elicuerint. Extractum, in terram expuunt.*

DE EQVORVM CONDITIONE, ET QVOMODO HI AD LVCTAM ORNENTVR. DE SPEctaculo etiam, in gratiam nostrorum mercatorum 23. Ianuarij exhibito.



VBANI nobiles æstimandorum educandorumque equorum peritißimi sunt: nec vllus est alicuius existimationis, cui equus non alendus domi sit. Illis quoque haud leuiter comptis superbiunt. Equi verò ipsi statura humilis sunt, teneros pedes habent, & cursus pernicis sunt. Hi ephippijs pretiosißimis ex holoserico, aut corio Hispanico, draconibus horrendis & cacodæmonibus terribilibus insignitis & inauratis conteguntur. Cum nostris illa ferè conueniunt, nisi quod posterior pars nostratibus depreßior sit. Fræna eorum lapidibus exornata sunt, instar alabastri candidißimis. Oreæ & ipsæ affabre confectæ sunt. Scutella oreæ ex argento plerunque confiunt: nonnulla candida, quædam *Equorum Tubanorum consideratio.*

inaurata, alia ex cupro fabrefacta, prout cuiusuis dignitas postulat. Ante portas crebro equos instituunt, nunc in gyrum eos agendo, nunc cursim incitando, nunc prorsum vorsum stimulando. Quæ omnia spectantibus valde iucunda obueniunt. Manibus hastam ligneam plerumque gestant valde gracilem leuemque.

Hac in ludicris equestribus apprime industriè uti sciunt. Nunc enim incitatis equis alius alium non secus ac summa bile æstuans, insequitur. Si conuentum est, qui insequebatur, hastam demittens, incitatiore cursu alterum præuertit, & stimulis compuncto equo per amplum patorem decurrit. Hūc posteà simili modo alius insequitur: & istum deinde rursus alius: quæ vicissitudines & permutationes tam diu continuantur, dum penitus lassescant equi, & ad currendum ignauiores fiant. Huiusmodi ludicrum die 23. Ian. Ann. 99. à frequenti nobilium corona in publico foro nostratibus mercatoribus exhibitum vidimus, cui & ipse rex intererat eques, tunica ex holoserico parata vestitus, & ex latere pugione (cuius manubrium ex solido auro erat, caput verò cacodæmonis facie effictu) armatus. In parato multos stantes equos habebant: ita vt uno lassato alius subinde succederet recens. Hoc loco, quæ ad cibum requirebantur, omnia summa copia prostabant, boues, capræ, gallinæ, oua, pisces & fructus varij, vt Coquos, *Limonia,* Bōnanas, Mangas *qui omnes esu suauissimi erant. Oryza etiam & pretij & saporis boni venundatur. Adeò vt locus hic reficiendis nauibus valdè opportunus sit.*

Quæ ad commeatū faciunt, omnia parabilia in Tuban.

Hollandi Tuban relinquūt. Die 24. Sub noctem soluentes binæ naues, nempe vice Almirans & *Seelandia* ex Tuban discesserunt. Cæteræ enim binæ, prætoria & *Sticht* de *Vtrecht*, quod adhuc pecora aliquot & oryzæ quantitatem iustam pro mercibus datis à Rege expectarent, diutius manere cogebantur.

Sydago regio. Die 25. Sub meridiem *Sydago* præternauigauimus, quo loco in prima nauigatione *Schellinger* cæsus erat. Circa vesperam infra terram Iauæ anchoras fiximus: quod collem ad *Maduram* exuperare non possemus. Nihilominus tamen scapham ad explorandam profunditatem emisimus: quæ mane reuersa, certi nihil attulit, cum propter fluuij impetum periculosum nihil tentare liceret.

Die 26. Prætoria nauis cum *Sticht* de *Vtrecht* ad nos redijt. Hæ infra terram *Iauæ* & *Maduræ* anchoras iactarunt. Nam vadum Maduræ valde humile erat, adeò, vt Almirans in fundo eius sub noctem consideret. Cum tamen terra mollis & lutosa esset, nullo damno se inde rursus extricauit.

Die

Die 27. Nauem *Melcknap* porrò egimus. Prætoriæ enim per obiecta breuia transitus satis tutus non patebat, ita vt cum naui *Sticht* de *Vtrecht* ibi manendum fuerit. Posteà ad angulum Orientalem *Maduræ* versus ciuitatem quandam *Arosbay* dictam secesserunt, vt ibidem oryzam & cibos similes pararent. Circa meridiem intra *Maduram* & terram *Iauam*, in vado *Maduræ* anchoras misimus: vbi propter fluminis altum delapsum periculi haud parum obstabat. A meridie vela promouimus, & circa vesperam apud *Iortam* ciuitatem anchoras fecimus. Eodem die officiariorum quidam scapha in terram egressus est, vt ductorem nobis in *Moluccanas* Insulas conciliaret. Hic vesperi reuersus agnum afferebat, dono à Rege acceptum. Sed qua causa principaliter emissus erat, ductorem nullum impetrauit. *Hollandi Iortam veniunt.*

Die 28. Scapha iterum aliquot in terram emissi sunt, qui oryzam & necessaria alia pararent. Cum his tamen breui reuersis *Sabander* adueniebat. A meridie Regis frater nos adijt, & vice Almirantem munere quopiam oblato donauit. Eodem die nostrates cum Germanico quodam illic habitante, & commercia opulentissima, pipere, myristicis & Garyophyllis agitante, collocuti sunt. *Germanus Iortæ incola.*

Die 29. Scapha ad emenda necessaria iterum emissa abijt.

Die 30. Iterum egressi sumus, tum vt oryzam mercaremur, tum vt ductorem ibidem conciliaremus. Hac nocte scapha multis viris onusta nauibus nostris applicuit, significans, ex prætoria nostra naui & *Sticht* de *Vtrecht*, vltra 40. viros in *Maduræ* ciuitate quadam *Arosbay* valdè firma captos detineri. *Hollandi in Arosbay capti.*

Die 31. Manè *Renegaer Tubanus* nos insectatus, vice Almiranti nomine Regis Tubani pretiosum munus obtulit: Hoc *Cris* erat cum binis hastulis, elegantissimè fabrefactis. Pugionis capulus ex mero auro gemmisq; nitebat, icone regis imposita exornatus: cuius pretium 500. florenorum à nobis censebatur. Ipsum verò ferrum vndulatum erat. *Honorarium vice Almiratus.*

Calend. Febr. ad *Maduram* appropinquauimus: comite *Renegaer* de *Tuban*: qui in redimendis nostris socijs fidam opem nobis stipulatus erat. Sed cum illius loci Regulus pretium redemptionis nimis iniquum posceret, collatis consilijs nihil profectum est: sed nos coacti vias meditari cogebamur, quibus per vim socij nostri liberarentur. Quod tamen nostrum consilium successum valdè infelicem obtinuit, ceu deinceps dicetur. *Februarius.*

INSVLÆ MADVRÆ DESCRIPTIO, ET COMMEMORATIO EIVS TECHNÆ, QVAM CIVITATI Arosbay intenderamus, ad socios nostros ibidem captiuos detentos redimendos.



Adura Insula à Iaua *maiore Aquilonem spectat. Indigenæ cum Iauanis eodem vestitu amiciuntur, homines ingenij mentisque acris. Terra oryzæ feracissima est, adeò, vt hinc vicini omnes eam petant: cuius fundus tam pinguis est, vt meliorem ne apud nos quidem reperire liceat. Perpetuis exundationibus ea ita mollescit & humectatur, vt eam*

turi bubali aut homines, ad genu dimidium in aqua peditent. Idem accidit etiã oryzæ messem facturis. Terra hæc seu Insula propter summam fertilitatem vicini carere non poßint. Accessum tamen grandiorum nauium propter crebro obiecta breuia non habet. Incolæ prædationibus ferè victitant, quas Prauuis *suis grassando in mari instituunt. Horum prædationibus tam vicini quam exteri sunt expositi: ad quorum tamen vindicias hanc ob causam nemo accingitur, quòd omnibus is metus obuersetur, ne laceßiti terram suam claudant, & mercium deinceps nihil ad vicinos emittant. Unde annonæ caritatem sequi certum sit. Sed & ad inuadendos eos accessus nauibus nullus est grandioribus. Arma, & quæ ad hæc requiruntur, omnia cum* Iauanis *communia habent, Elephãtos, equos, hastas, peltas, acinaces,* Crissos, *quorũ capita cacodæmonis imagine exsculpta sunt. Regis ministri vniuersi nobiles sunt, quorum* Crissi *ex argẽto sunt. In parte à* Madura *occidentali ciuitas* Arosbay *sita est, muris circumductis, & portis suis per circuitus suffirmatis valdè munita. In his noctu excubias agunt, & belli tempore contra hostes depugnant.*

Arosbay munitissima.

Die 27. Infra Iauæ *terram, ceu dictum est, consederamus, quod in breuia late ad aditũ* Maduræ *& porrò in* Iauam *excurrentia impulissemus. Hæc nonnullibi filorum sex, pauciorum pluriumue erant. Qua causa moti nauium diuortium instituimus, & decreuimus, vt vice Almirans* Geldria *dicta, cum* Seelandia *vadum* Maduræ, *intra terram* Iauæ *&* Maduræ *iuxta ciuitatem* Iortam *;* *Iauanorum* Ioncis *in* Moluccas *nauigantibus, & commodum ibidem ventum opperientibus acceßibilem occuparent. Huc, vt diximus, perrexeramus, nulla causa alia moti, quam vt ductorem in* Moluccanas *nobis conduceremus. Posteà prætoria cum* Sticht Vtrecht *versus latus occidẽtale* Maduræ *pergẽs, iuxta ciuitatem* Arosbay *anchoras fecit: & hinc grãdem scaphã cum viris multis ad oryzam & necessaria alia parãda in terram emisit. Quam cum ingreßi essent, captiui omnes abducti, & suis armis spoliati, vestibusq́ exuti, & alijs induti leuioribus fuerunt. His itaque diutius emanentibus, nec ad naues tempe-*

stiue

ſtiue redeuntibus, Almirans ſcapham aliam minorem cum ternis viris emiſit, qui de ſtatu priorum ſciſcitarentur. Qui tamen & ipſi in ſolum egreßi captiui abducti ſunt. Rebus itaque ſic conſtitutis, captiui loci Regem ſollicitarunt, vt bona ipſius pace tres de ſocijs ad Almirantem emittere liceret, qui ſtatum præſentem ipſi nunciarent, & de captiuatione facta indicium facerent. Cui eorum petitioni hac conditione aſtipulatus rex eſt, vt munere eo defuncti vinculis ſe iidem irrefragabiliter ſiſterent.

Re ab Almirante cognita, ſcapham illicò in Iortam *expediuit, quæ ad vice Almirantem iſta omnia nunciaret. Quare vice Almirans citra moram leuatis anchoris, Iorta receßit, & ad naues cæteras, ſub* Arosbay *ſtantes, approperauit. Hinc ergò quotidie litteræ vltro citroq́; mißitatæ ſunt, per quas de liberationis pretio decerneretur. Rex tamen, cum principio pro 40. captis viris, duo maiora nauis prætoriæ tormenta, cum faſcibus aliquot panni holoſerici, & præter hæc 1000. Regales octonorum ſibi pendi tradique poſtulaſſet: Almirans exactionis ſummam iniuſtitiam trutinans, reſpondit Regi, ſi vel pecunia vel mercibus liberari vellet ſocios, tum ſe libenter cum eo de ſumma conuenturum & depacturum. Quod verò tormenta attineret, nec illa ſua propria eſſe, nec plenam ſe in ea poteſtatem habere, cum nationi vniuerſæ Belgicæ ea aſcripta ſint. Faceret itaque, quod æquum eſſet, & fieri poſſet. Hæc tractatio dierum 5. vel 6. erat: quæ quo diutius agitabatur, hoc confidentiores & animoſiores incolas reddebat. Almirans itaque omnibus tum nautis tum mercatoribus mandatum dedit, vt de re certius deliberarent, & hoc agerent, vt ſimul vnà omnes in littus ſcaphis egrederentur, & noſtros ſocios abriperent. Nam rumor erat, ſocios noſtros in illis ipſis ſcaphis, quibus appulerant, detineri, nullis vinculis impeditos, ſed liberos: & ſcaphas illas in portu paucis cuſtoditas adhuc ſtare, vnde eos eruere & abducere, haud magni laboris videbatur. Sed conſilij huius exitus valde funeſtus ſecutus eſt.*

Tractatio de dimittendis captiuis.

Nam poſtquam 5. Februar. collectis viris circiter 150.

cum tribus maioribus & totidem minoribus scaphis versus terram concederemus, in littore magnum hominum numerum conglobari vidimus, quos duo Lusitani præcedebant, qui vexilla pacis præferentes ad nos accedebant, & velle se pacificè nobiscum contrahere aut conuenire innuebant. Sed hic dolus & nefaria impostura fuerat, in hunc finem asserta, vt intereà temporis vrbani se probè armare possent. Fraude itaque illorum detecta, cum Mosquettis *20. circiter in terram exiliuimus, & in eos intrepide defulminauimus, vt illorum quatuor illico prosternerentur. Quo facto, cum vice Almirans progressuros in scaphas reuocasset, vt eas propius impelleremus ad captiuos: eius mandato satisfactum est. Postquam itaque scaphis ciuitatem iam proximè subijssemus, ex altera illi porta effusi statuerunt in portu nos cingere incautos. Quod attendentes, scaphas illicò binas ad portum tuendum emisimus. Cuius angulum si hostes occupare potuissent, nullo dubio in extremas angustias nos compulissent. Dum itaque mutuo isto conflictu acriter vtrinque depugnaretur, intereà adornata sua ænea tormenta produxerunt, & in nostros haud frigidè consulminauerunt. Sed & spiculorum vibratione instabant, tam frequentium, vt illis cœlum pluere videretur. Spem isti sibi quidem fecerant, si puluerem omnem pyrium consumpsissemus, tum se facile victores futuros. Quem tamen ad finem nobis durare non licebat. Nam & derepente ventus validus surgebat, & vnda sensim deflua videbatur fieri, vt seruaturis nobis vitam discessione & ad naues reditione omnino opus esset.*

Hollandi socias ereptum eunt.

Hollandorum dolenda strages.

In regessu isto, dum nonnihil promouissemus, scapha nauis prætoriæ cum viris 36. vt & alia nauis Zeelandiæ *cum viris 13. æstu maris euersæ sunt, quos scaphis nostris saluare non poteramus, cum in summo ipsimet periculo itidem versaremur. De illis ergò quamplurimi perierunt, alij aqua mersi, alij, qui enatauerant, à barbaris confossi. Nonnullis tamen, qui ex latere altero ascenderant, à quodam* Renegaër de Tuban, *illic stante, & pro ipsis intercedente, vita seruata est. Qui tamen in terram egreßi, captiui facti sunt. Nam cum*

ter-

terrā attigissent, in genua prouolutis, terræ manipulum capitibus eorum improsuerunt, quod donatæ vitæ apud eos signum est. Qui verò ex latere altero enauerant, hi omnes confoßi ceciderunt. Hac strage viri 25. occubuerunt: ex prætoria nimirum naue 15. ex Ioannis Martß *viris vnus, qui scaphæ quoque inerat: ex* Zeelandia *nouem. Captiui sub vesperam per ciuitatem in casam rusticanam abducti, ibi custodiebantur. Tubicen & tesserarius pedicis ferreis induebantur: cæteri omnes aliter vinciebantur: quorum tres grauiter vulnerati erant. Alteri verò, quorum redimēdorū gratia appuleramus, alio abducti, in duplices cohortes dirimebantur.*

Die 6. Hinc iterum aliò translati sunt. Hi in transitu sociorum sex, à cæteris segregatos, & peculiari loco seruatos viderunt. Illi in penitiorem Insulam vnius milliaris interuallo seducti, & fouea in hunc vsum facta, absconditi seruabantur. Tum temporis tesserarius & tubicen suis vinculis liberabantur.

Die 7. Ex fouea captiui rursus in ciuitatem ducebantur: ex quibus tubicen cum tesserario priuatim ad Regem agebantur. Tesserarium rex rogauerat, num ibi manere vellet. Quod si faceret, spopondit, se ipsi suarum vxorum duas matrimonio iuncturum, & additurum alia plura. Cui tesserarius respondit, mansionem cum socijs sibi iucundiorem esse. Sperare quoque, capitanei molimine se breui liberatum iri, modo id vlla opera fieri posset. Quibus auditis, ad cæteros per ciuitatem reducti sunt: cuius portam cum egreßi essent, socios omnes vno loco coactos & congregatos viderunt, viros nempe vna summa quinquaginta & vnum. Hinc iterum in paruam quandam Insulam, ciuitati subsitam abducti, & sedulis excubijs seruati sunt. Captiui quinquaginta vnus.

Die 8. Vt populus noster redimeretur, sedulo de numerando pretio cogitatum est. Tandem verò inter vtramque partem ita conuentum est, vt pro omnibus aut 2000. Regales octonorum penderentur, aut horum loco omnis generis merces traderentur, tum demum, vbi captiui nauibus prius adducti fuissent.

Die

Liberantur captiui.

Die 9. primò octo missi sunt captiui: pro quibus pecunia numerabatur illico.

Die 10. rursus. 12. miserunt, pro quibus itidem ex tempore pecunia tradita est.

Dies. 11. 12. & 13. rebus iisdem insumpti sunt.

Die 14. cum, qui captiui fuerant, in nauibus iam vniuersi rursus collecti essent, præter binos, qui furtim sub noctem sese in terra absconderant, & vltrò apud barbaros restiterant: tum ex naui *Sticht* de *Vtrecht* ter displosa tormenta fuerunt, vt hoc signo cæteri de captiuis omnibus restitutis commonefierent. Vespera ergò appellente inde resoluimus, vento cæcia versus Zephyroaustrum secundum *Maduræ* longitudinem procurrentes. Hoc tempore Gubernator *Iacob Martß Harlemensis* defunctus est: quem postero die ex naui exturbauimus.

Hollandi Arosbay soluunt.

Die 16. missa scapha Almirans vice Almirantem accersiuit, ad officiarios nouos illis succenturiandos, qui ante *Arosbay* occubuissent.

Die 17. & 18. Insulam *Cebeles* vidimus, à qua versus Euroaquilonem contendebamus.

Combayna.

Die 19. Sub auroram *Combaynam* Insulam, à *Cebeles* Insula 18. ferè milliaribus distantem conspeximus. Eodem die alia quoque *Bouton* Insula conspectui nostro oblata est, quæ à *Combayna* 8. milliaribus distabat.

Bouton.

Die 20. Insulam *Bouton* tenuimus. Hoc loco Almirans curatores & officiarios citauit, vt in sua naui comparerent, ad rerum quarundam deliberationem suscipiendam.

Die 21. Cum Insulam *Cebessam* legeremus, breuia quædam, in mappis non descripta, attigimus. In quæ etiam nocturno tempore haud dubio impegissemus, nisi diuina clementia abstinuisset. Hæc ad bina milliaria excurrunt, recta ab ortu versus occasum. Quę ideo diligenter attendenda sunt, quod intra *Bouton* & *Cebessam* media interiaceant.

Die 22. imbribus & nimbis gliscentibus, intra septentrionem & ortum medium adegimus, versus *Amboynam.*

Die 24. Vice Almirans cum Almirante statuit, vt curator *Zeelandiæ* naui *Sticht* de *Vtrecht* imponeretur: huius verò curator illius vicissim locum tueretur. Eodem die in naui nostra puer quidam dysenteria obijt, cui nomen *Lieuen Roockeß* erat. Hunc vesperi Oceano dicauimus.

Die 28. Insulam quandam, *Booram* conspicati, manè ventum cum pluuiis validissimum habuimus, ita, vt legenda & stringenda vela essent. Eodem, ex malo nauis quidam in mare exturbatus, fune mordicus arrepto tam diu se cōtinuit, dum à nobis attrahi posset. Ex quo casu damni ne minimum quidem accepit, sed cum omnium admiratione illæsus per omnia seruatus est.

Blau Insul.

Die 26. & 27. Insulam *Blau* subiuimus, ad quam ventus seu aura leuis & placida perspirabat.

Die 28. Ad prætoriam nauem contendimus, vt inde concionatorem accerseremus: cum duo iuuenes remiges in nostra naui essent, qui de sacramento baptismatis doceri & informari adeoque baptizari vellent.

Martius.

Calend. Mart. ad *Blau* insulam, versus Orientem Insulæ *Booræ* sitam, tres alias minores Insulas conspicati sumus, quarum prima *Atypotty*, altera *Manyba*, tertia verò *Gyta* nuncupabantur. Hæ omnes ante *Amboynam* iacent.


Die 2. Terram Insulæ *Blau* præternauigauimus. Circa vesperam duæ

praui

Prauui ad Almirantem seu prætoriam annauigarunt, cuius scaphę assiduo succedebant. Vice Almirans itaque ad prætoriam scapham, quid illa nauis vellet, percontatum emisit. Quæ vt primum scapham nostram accurrentem vidit, magna festinatione ad littus se recepit. Nos itaque cursum incitatum in *Amboynam* tenuimus.

Die 3. sub auroram *Amboynæ* aditum, satis angustum attigimus. Cuius cum ostium teneremus, tam alta pellacia erat, vt fluctus impetu inde rursus aspelleremur. Circa meridiem tres *Prauui* ad nauem nostram appulerunt, ex oppido quodam *Matel*, quod ad *Amboynæ* montosa situm est. Circa vesperam recta *Amboynæ* successimus, ad oppidum quoddam *Itou* seu *Iton* dictum confidentes.

INSVLÆ AMBOYNÆ DESCRIPTIO, QVÆ EIVS NIMIRVM CONDITIO SITVSQVE sit. De incolarum itidem studijs & vita, & vestitus genere, & forma nauium.



Mboyna Insula ad Moluccanas *Insulas, à* Banta *versus Aquilozephyrum ad 24. circiter milliaria absita est. Hæc Garyophyllorum, aurantiorum, Limoniorum, Citriorum,* Coquos, Bonanas, *Cannarum sacharinarum, & fructuum similium feracissima est, quæ tam leuis ibi pretij sunt, vt pro nodo vno 80. aurantia receperimus. Incolæ ingenij simplicis sunt,* Bantanis *&* Moluccanis *cæteris similiter amicti: victum ex Garyophyllis quærunt, quem valdè parcum & tenuem ferre didicerunt. Arma eorum sunt hastæ ligneæ ferro vnco præpilatæ, quas industriè adeo ad metam conceptam vibrare norunt, vt præfixum talerum quoque ferire queant. Clypeos etiam ferũt & acinaces, quibus in bello præcipuè valent. Qui eorum pauperiores sunt, manibus plerunque maiusculum cultrum gerunt, quo suas operas conficiunt. Placentæ genus quoddam ex oryza, saccharo & aridis amygdalis pinsunt, & in loca finitima diuendunt, aut iisdem res alias permutant. Oryzæ multum absumunt, ex quibus grandes panes conficiunt, primo aspectu saccharinis similes, quibus ad exedendas pultes vescuntur. Sui generis triremes habent, quibus haud parum insolentes sunt, quas incitatissimè proferre norunt. Hæ dracones ferè exprimunt.*

Fertilitas Amboynæ.

Incolarum studia.

D *Nam-*

Nam prora caput Draconis refert: puppis caudæ similis est. Has suffixis quibusdam vexillis seu aplustribus exornant. Cuius rei specimen tum temporis vidimus, cum Amboynæ *appelleremus. Tunc etenim maris Almirans cum tribus instructissimis & ornatissimis triremibus, quas* Karkollen *nuncupant, ad nos venerat, quæ viris vndiquaque pulcherrime exornatis & armatis confertæ erant. Hi naues nostras vniuersas obeundo lustrantes, sui gaudij & admirationis varia signa edebant, tum cantillando & vasa cuprea feriendo; tum verò tympana oblongiuscula, sub axillis pressa, altera manu impulsando, ita vt ex peluibus & tympano harmonia non insuauis emergeret. Ipsi quoque sclaui in medio remigationis opere tam suauiter & concinne admodulabantur, vt singulari iucunditati cantio omnibus esset. In quauis istarum* Karkollen *tria tormenta deposita habebant, quæ omnia in honorem nostrum eiaculabantur. Quorum in gratiam nostra quoq; displodi iussum est. His ita exactis, anchoras fecimus; vniuersa nocte diligentes excubias agentes, quod ipsos quoq; idem in littore factitare peruidissemus: Nam & illibi perpetuò aliqui comparebant, & discretis locis aliquot ignes latè effulgescebant.*

Gaudium incolarũ de Hollandorum aduentu.

Posteà Almirans dictus ad nos reuersus, quo animo & fine, & quid petitum venissemus, rogauit. Cui, cum nos commerciorum gratia aduentasse respondissemus, & hunc in finem merces quasdam allatas ostendissemus; responso acquiescens in terram nos egredi iussit, vt nobiscum commodius cõtrahere ipse posset.

Insequente itaque die vice Almirans scapha egressus, & ab ipsis familiariter salutatus, porroque in tentorium quoddam, ex velis infra arbores extructum deductus est. Ibi post varia colloquia nostri percontati sunt, an vecturam plenam ibi nancisci liceret.

Die 4. sub auroram, fructus plurimi ad naues nostras allati ad permutationem sunt, vt aurantia, limonia, citria, *Coquos*, *Bonanas*, & similes, qui omnes pretio redimebantur vilissimo. Nam pro vno cochleari stanneo tantum fructuum refusum nobis est, vt recondendorum omnium sufficiens locus non esset. Panes quoque suos aliquammultos ex amygdalis & sac-

& faccharo coctos, adeoque contra alui profluuium dysenteriam valdè vtiles, aduehebant, vel pretio soluto emendos, vel mercibus alijs permutandos. Vesperi versus ortum nonnihil promouimus, ad stationem nauibus commodiorem parandam. Primò enim fundum limosum & putridum orgiarum 36. habueramus. Posteà verò in arenoso solo orgijs 50. anchoras fecimus.

Die 5. maris Almirans ad nos appulit, & naues nostras lustrauit. Quibus visis, non saltem ipsam nauium molem, & earum valida tormenta oppido admiratus est, verum etiam opulentum illum mercium variarum apparatum cum stupore quodam dispexit. Tractandarum bombardarũ non leuem notitiam habebat: adeoque illis visis comprimis oblectari videbatur.

Die 6. sub diei exortum, vice Almirans cum officiarijs ternis alijs in terrã egressus est, vt cum Gubernatore colloqueretur, & ex eo de commerciorum futuro statu percontaretur. In terram egressis cum regionis primates obuiassent, more suo magnam illis reuerentiam exhibuerunt, & de aduentu eorum se oppido gaudere innuerunt: addentes, pro binis nauibus onerãdis mercium iam satis in promptu esse: quo nuncio nostros suauiter afficiebant. Almirantem deinde aliquo in vmbram seduxerunt, vbi mutuis colloquijs tres ferè horas detriuerunt. A meridie vice Almirans ad naues reuersus, Regis de *Ternate* fratrem secum adduxit multis nobilibus stipatum, qui naues nostras spectatum omnes veniebant. Circa vesperam in discedentium honorem quinque maiora tormenta displosa sunt, quorum duo pro ipsorum petitu globulis ferreis onerata fuerant. *Vice Almirans probè accipitur.*

Die 7. fructuum multa varietas ad permutandum nauibus aduecta est.

Die 8. manè, præfectus inferior in terram egressus cum gubernatore loci tractauit de domo quadam, mercibus nostris exponendis idonea, vt minore nobis negotio contrahere liceret. Cui petitioni is facilè annuit. *Hollandi exponẽdis suis mercibus domũ impetrant.*

Die 9. officiarij omnes, & curatores nautæque apud Almirantem conuenerunt, vt deliberarent, quænam naues ex omnibus porrò vela facere deberent. Nam pro omnibus onerandis ibi non sufficere merces, iam cognitum erat. Eodem die, tignarij in terram euecti sunt, vt domum nobis cõcessam sarcirent, ad negotiationes commodius agitandas.

Die 10. in naui *Geldria* iudicia habita sunt. Eodem fructus quoque plurimi nauibus allati sunt. Nostrum tamen pars maxima in instauranda domo occupabatur.

Postquam igitur, vt iam dictum est, pro vniuersis quatuor nauibus mercium sufficiens copia hic non esset: deliberatione rei habita consultum visum fuit, vt illarum duæ *Zeelandia* & *Geldria* in *Bantam* porrò procurrerent. Sic itaque illic *Amboyna* discedentes, cæteras deseruerunt, quæ ibidem duorum mensium spatio posteà commoratæ sunt. Quibus nos adeò relictis istarum duarum historiam pertexemus, quæ in *Bantam*, vbi postmodum opulentissimè oneratæ sunt, vela fecerunt. Quam historiam vbi finiuerimus, ad duas alteras, nempe Amsterdam, cuius patronus *Claes Ians Melcknap* erat: & *Sticht* de *Vtrecht*, cuius patronus *Ians Martß* erat, redibimus, commemoraturi, quid ipsis acciderit, postquam 8. Maij *Amboyna* ad *Moluccanas* Insulas soluissent. Sic opera nostra curabitur, vt *Diuiduntur 4. naues Hollandica.*

octonarum omnium nauium descriptionem plenam & sufficientem lector habeat.

Die 11. desertis binis nauibus, soluimus, & cursum in *Bandam* recta tenuimus. Aliquousque cum progressi essemus, & poscente re anchoras iactassemus, vela promoturi *Zeelandiam* loco emouere non potuimus; quod anchora eius renitentior esset, quam vt attrahi & leuari posset. Nam opinio erat, illius funem saxo alicui inferius ita implicari, vt expediri non posset. Totam ergò noctem ibidem considendum fuit, dum vento nauem concutiente & disiectante funis extricaretur.

Die 12. vnà procedentes, haud multum promouimus, quod mare tranquillum esset.

Die 13. circa meridiem *Zeelandia* in vado *Ceru* infra Insulam *Ielau* iterum in fundo consedit: quo loco fluctus tam præceps & violentus erat, vt nauem in breuia, Insulæ dictæ obuersa, secum vna abriperet. Diuinitus tamen immissus ventus eandem illinc percommodè iterum auulsit. A meridie duæ *Prauui* ad nos currebant, recensentes, sub Insula *Noesau*, in transitu seu aditu *Cerau* ad *Amboynæ* orientem, Lusitanicam vnam nauem morari: & eius Insulæ incolas anthropophagos esse.

Die 14. pellacia aliquandiu continuante, circa vesperam Aquilozephyrus coortus est: cum quo versus austroeurum obliquabamus. Eadem adhuc vespera *Bantam* Insulam prouidimus. Ipsa nocte iuxta Insulam quandam *Poel Setton* nauigauimus, quæ à Banta aquilozephyrum spectat, milliaribus circiter quinque inde distans. Hæc insula à nemine inhabitatur, nec à quoquā adiri potest, sicut à ductore nostro comperimus. Insula hæc ipsa passim omnibus magno terrori est, quam ab ipso cacodæmone habitari commemorant. Ad hanc enim si peruenere nauigantes, omni nisu & labore eam quam citissimè transilire student. Ipse quoque ductor noster cum regionem illam adijsset, miram vultus figuram ostendens, arrepta nauali pertica in proram se statuit, & eam subinde emittendo ad se retraxit, non secus ac nauem vnà secum attrahi putaret. Hoc modo nauis cursum citari persuasum habebat. Tandem elassatus perticam iuxta se deposuit, quam illi præripere nemini licebat, prius quam locum istum permisissemus. Vbi, cum tempestas nonnihil placidior esset, in naui horsum vorsum ambulans, sibilum ore clarum edidit, illo quasi cacodæmoni illusurus, quod naui nocere non potuisset. Ex quibus conijciebamus, locum illum transmittentibus omnibus valdè formidolosum existere.

Poel Setto, deserta & malo genio habitata.

Die 15. iterum aliam Insulam à Banta ad austrozephyrum sesquialtero milliari absitam, & *Pollevuay* vocatam, prouidimus. Cui vicina & alia *Polleruijn* comparebat, interuallo semi milliaris à se inuicem distantes. Ex *Polleruyno* circa meridiem scapha ad nos venit, viris ingeniosis, &, vt videbatur, valdè sedatis acta. Horum vestitus ex panno gossypino, corpori applicato erat. Arma eorum hastæ sunt, manibus emitti solitæ. Vesperi ad flumen *Bantæ* anchoras extorsimus. Cum verò venti pacati essent, *Zeelandia* promoueri non potuit, vt flumen attingeret. Eodem tempore, qui scaphis suis ad nos appellebant, commemorabant nobis, Lusitanos quosdam binas ibi naues dereliquisse, nec trium mensium spatio hactenus ad eas redijsse. Hi probandas quoque nuces aliquot myristicas cum mace nobis offerebant, vt & nonnihil Garyophyllorum, addentes, si placeret, pro nostris nauibus onerandis abundè satis mercium iam sufficere.

Hollandi Bantam veniunt.

Die 16. circa meridiem *Sabander* ad nos appulit, vice Almirantem in colloqui.

loquium vocans. Posteà & *Melcknap* ad nos veniebat, 14. orgiarum fundum arenosum occupans.

Die 17. *Sabander* alius, ex oppido quodam *Ortattan*, ad nos commeauit. Cui cum honoraria quædam obtulissemus, eadem detrectauit, & posteri diei reditum nobis stipulatus est.

Die 18. *Sabander* denuo accessit, cum quo tractatum est, vt liceret nobis publica commercia tum emendo tum vendendo agitare. Vectigalis verò pensum, *Baren* quatuor macis statuebantur. Hic cum promisisset, domum negotiationi nostræ aptam locare, sub vesperam ad terram redijt; ad cuius abitum decem tormenta grandiora exonerata sunt.

Hollandi in Banta domum parant.

Die 19. nauis nostræ præfectus inferior cum *Zeelandiæ* pręfecto in terram egressi, tignarios aliquot secum euexerunt, qui domum adornarent & componerent, vt commercia nostra expeditiora essent.

Turcæ, in Banta habitant.

Die 20. Magnus Turca ex *Banta* nos accessit. Hic cum vice Almirante locutus, satis mercium pro onerandis binis nauibus adesse indicauit.

Die 23. Ex oppido *Ortattan* bona prima allata sunt.

Die 24. Venditioni & emptioni primam operam locauimus.

Die 25. Vice Almirans in latus *Bantæ* alterum secessit, conducturus & illibi domum, vt commercia nostra sic felicius procederent. Nam ibi appulsus nauium crebrior erat, quod è latere illo Iauani habitarent, qui quotannis eo cum negotiationibus maximis adeunt.

Die 27. Bona ex oppido *Nera* in altero latere appulerunt.

Die 28. Nauis ingerendis mercibus aptas & idoneas fecimus. Eodem die magnam quantitatem myristicarum nucum & macis accepimus.

Die 29. & 30. vendendo & emendo valdè occupati fuimus.

Die 31. Prima bona, nempe nuces muscatas, nauibus intulimus.

Aprilis.

Dies 1. 2. & 3. Aprilis, commercijs toti feruebant.

Die 4. Litteræ Almirantis ad nos ex *Amboyna* allatæ sunt, nunciantes, bona se pauca adhuc comparasse, quod incolæ cum Lusitanis belligerarentur.

Die 5. Qui ex *Nera* erant, nostra nobis pondera surripuerunt, & commercia porrò intermittere mandarunt. Sic ergò nihil contrahere nobis licebat, dum cum nobilibus eius loci prius nobis conuentum esset. Nam & hi quid lucri à nobis expectabant. Clausis itaque tabernis tantisper feriandum fuit.

Die 6. Bona quędam naui illata sunt, quę ex *Ortattan* comparauimus. Illa autem nuces myristicæ erant.

Die 7. Curator *Seelandiæ* nauis ad oppidum *Nera* contendit, vt cum nobilibus loci contraheret. Cum illis ergò pro 60. libris macis, honorarij loco offerendis conuentum est. A qua conuentione nobis nostra pondera reddita, & emendi liberè vendendique potestas denuo facta est. Sic ergò merces nostras quam maximo nobis pretio vendere licebat.

Die 8. Bonis seu mercibus nostris in terram efferendis valdè occupati fuimus.

Die 14. scapha maior cum 41. viris *Amboynam* emissa est, vt plenè de statu Almirantis sciscitaretur.

Die 26. eadem rediens significauit, Almirantem nondum vltra 5. onera Garyophyllorum accepisse. Spem tamen esse, breui plura illi communicatum iri.

Quo pretio aromata veneant.

Baer quale genus ponderis.

Die 28. & 29. In mercibus efferendis iterum valdè laborauimus. A quo cum *Iauanis* contraximus de mace, myristicis, Garyophyllis; *Baer* macis vnum pro 60. Regalib. octonorum, *Baer* Garyophyllorum pro 45. *Baer* autem myristicarum pro 6. Regalib. octonorum mercantes. Est autem *Baer* pondo genus,

 libras

libras *Bantanas* 100. continens. *Bantana* autem libra quinque libras Hollandicas cum quadrante constituit. Sed hoc pretium diu non stabat: cum omnes id augere & intendere quotidie meditarentur. Hoc integro itaque mense in nostris exponendis mercibus valdè seduli fuimus, quas pro myristicis, mace, & garyophyllis permutaremus.

Nam bona nostra omnibus grata erant, atque adeo auide ab incolis emebantur, vt admetiendarum illarum nobis ferè tempus deficeret. Nam pro ijs etiam integro die tantum aromatum recipiebamus, quantum duabus lancibus ponderare possemus: adeo vt vnico persæpè die bonorum integrum onus, nonnunquam duo colligeremus: quæ omnia minoribus lancibus metiri cogebamur.

Maius. A. Calend. Maij, ad mensis diem vsque nouissimum onerandis nauibus continenter occupabamur.

Die 8. in *Zeelandiam* nauem serpens vastus irrepsit, cuius longitudo 11. pedum erat. Hic in eadem mactatus, & esitatus est.

Iunius. Die 5. Iunij, *Labbetackenses*, cum 4. triremibus ad *Neram* oppidum appulerunt, & velitari pugna cum eiusdem conflixerunt incolis, qua aliquot cæsi, multi vulnerati fuerunt. Duo hæc oppida vnius horæ itinere à se inuicem distant, quorum habitatores perpetuis inimicitijs æstuant, vt nullum lacessendi hostis commodum tempus facilè negligant. In syluis & iuxta littora diligentes excubias agunt, vbi hostium impressionem suspectam habent. Arma gerunt, clypeos 4. pedes longos, & acinaces grauiores, quorum manubrium stannea lamina inductum est.

Velitatio duorum oppidorũ.

His ad sui defensionem expeditissime vti norunt. Sclopetis quoque & æneis tormentulis abundant, quæ in nauibus & suis vrbibus potissimum vsurpant, ad arcendum hostem. Ad conflictum abituri, quilibet binas quoque hastas ex denso & solidissimo ligno fabrefactas, vnum cum dimidio fere filum æquantes gestant, quas tanto robore & certitudine vibrare norunt, vt virum ijs coniectis totum traijciant. Hastis his excussis, tum arreptis peltis & acinacibus pugnam continuant; nonnunquam sclopetis, sed rarius, vtuntur. Galeis insigniter gaudent, rati se iam per omnia tutos, si ijs intecti sint. Eodem die Almirans quoq; in terram egressus erat, cum conflictum fecissent.

Die 17. *Neræ* habitatores, vt & incolæ *Lontoer* & *Pollerbay* suis triremibus in Insulam quandam *Wayter* dictam traijcientes, homines plurimos obtruncarunt; quorum capita deinde in probrum & contumeliam *Labbetackensium* suis nauibus suffigentes, *Neram* posteà redierunt, victoria parta valdè feroculi. Nam nudis suis acinacibus, humano sanguine adhuc stillantibus, per plateas publicas spectandos se prębebant. Cæsorum tamen capita postmodum pannis gossypinis diligenter inuoluta sepeliuerunt.

Die 29. *Zeelandia* nauis onus mercium nouissimum accepit. Hoc ipso die in firmanda domo, quam Almirans pro ijs, qui illic mansuri erant, instaurari curauerat, studiosè & sedulo laboratum est.

Iulius. Calend. Iulij, *Geldriæ* nauis bona nouissima accepta sunt.

Die 2. vice Almirans ad terram contendit, vt de necessarijs cum *Sabandro* & nobilibus tractaret, & discessionis veniã impetraret. Quos vna opera quoq; obsecrauit, vt mansuros ibi nostros socios rebus omnibus iuuarent. Quod cum illi se facturos recepissent, vice Almirans *Sabandro* & nobilibus aliquibus muneribus affectis cum pace discesśit. Circa meridiem ergò illinc soluturi anchoras leuauimus. Quas tamen, cum exitus nullam occasionem videremus, breui iterum iactare cogebamur.

Vice Almirans Sabandrum & nobiles honorarijs donat.

DESCRI-

DESCRIPTIO INSVLÆ BANTÆ, QVÆ A LINEA SVB AVSTRI 4. GRADIBVS SITA est. De incolarum vestitu, moribus & ritubus: de bellis itidem, inter Insulanos crebro committi solitis.



NSVLA Banta, *ab* Amboyna *Insula 24. ferè milliaribus distans aromatum nobilißimorum, vt macis & myristicarum feracißima est. Hæc in tres diuisa partes est, quarum omnium ambitus milliarium quinque putatur. In his primaria vrbs* Nera *est. Insula hæc* Moluccarum *omnium propter nuces myristcas, quas abundanter fert, præstantißima est, adeò vt* Iauæ *incolæ omnes ijs emendis vendendisque magna commercia agant. Idem &* Malaccani *&* Chinenses, *cæterique his finitimi faciunt, qui bona sua eo conuehunt, & eorum gratia mensibus ferè tribus morari solent. His aut venditis aut permutatis,* Ionckis *suis domum redeunt. Eò ergo, cum primo veniunt, communi pecunia fœminam sibi quandam mercantur, cuius opera in coquendis cibis vtantur. Quam postea, confectis negotiationibus, liberam abituri dimittunt, vsque dum sequenti anno reuertantur.* *Banta Insularũ nobilißima.*

Incolæ plerique ethnici sunt, fidem Mahumetanam professi: in qua valde religiosos se præstant, adeo, vt ad excubias nunquam abeant, quin prius in Templis, quæ patria lingua Musquitas *vocant, precationes fecerint. Templum quinetiam nunquam nisi pedibus lotis ingrediuntur. Nam ante* Musquitam *vasa magna plerunque deposita sunt, quæ ad se mundandos & abluendos aqua complent. Ita loti templum demum ingrediuntur, & precantes tam alte clamant & vociferantur, vt sonitus vltra 20. ædes proferatur. Verba autem precaria, quæ bis vel ter iterant, hæc sunt:* Stofferolla, Stofferolla; Ascehad an la, Ascehad an la; Ylla, Ascehad an la, Yll lolla, Yll lolla, Mahumed die rossulla: *quæ verba nouißima si pronunciant, tum manus per faciem ducunt, quo gestu singularis deuotio latere creditur. Precatiunculas quoque alias* *Incolæ Mahumetistæ.* *Bantanorum preces.*

sed

sed tam submisse dicunt, vt vix labra motare videantur. Hoc miris ritibus exequuntur, tali ferè forma. Stoream supra terram extendunt: in qua stantes, bis terue in cœlum oculos attollunt. Hoc præstito, in genua prouoluuntur, caput bis terue ad terram inclinantes. Id indies crebro faciunt, tum domi, tum foris in plateis publicis. conciliabula in templis frequentia instituunt, in quibus, quolibet suas dapes aut epulas conferente, conuiuantur: quod ipsum in syluis quoque nonnunquam instituunt, in quibus centum circiter homines plerunque conueniunt & vna epulantur. Hæc tum ferè temporis agunt, cum de communi patriæ commodo deliberaturi sunt. Nam in hac vna Insula sex vel septem oppida sunt, quæ perpetuo mutuis odijs & inimicitijs dissident: quorum primarium Nera *est, quæ infestiores hostes* Labbetackenses, Comberos, *&* VVaeyeranos *habet. Huic tamen econtra amicitia iunctum est, oppidum* Lontoor: *ex Insulæ latere altero positum, vt & duæ paruæ aliæ Insulæ dimidio milliari à* Banta *sitæ, quarum vna* Polleruijn, *altera* Poelvuay *nominatur. Hæ amicæ & tutelares* Neræ *sunt. Quoties ergo isti pugnaturi sunt, tum nauibus suis in* Neram *tendunt, vt ibi de rebus agendis decernant. Illic* Bantæ *incolæ conuiuium apparant, & ad epulas promiscuè omnes compellunt, quas in vijs publicis ministrant. In quibus cum ex ordine consederint, tum mensæ loco folij cuiusdam fragmentum cuilibet porrigitur, ex* Bonanas *arbore auulsum. Deinde frustum panis, quem* Sago *vocant, singulis proponitur. Ab hoc patella, itidem ex arboris cuiusdam folio facta, præbetur, in quam oryzam coctam, & modico iusculi carnei perfusam indunt. Hanc pecorum more ita auide vorant, vt plenis manipulis eam ori iniiciant. Interea dum hæc fiunt, nobiles cum suis armis consurgentes, quasi saltitantes mutuo pugillatu digladiantur: qui ad tympani impulsi sonitum & crepitum peluium motus decores edunt & apprimè compositos. His gesticulationibus vbi lassi facti sunt, tum arma abijciunt, & successores similes admittunt. Hæc durant & continuantur, dum populus satur sit.*

Bantanorum conuenticula.

Neranorum & Labbetackensium discordia.

Conuiuium publicum bellicum.

Quas

Quas vero inimicitias iam à longo tempore inuicem fouent, istæ hoc principium habuerunt. Oppidi Labbetackæ, *à* Nera *spatio milliaris vnius absiti, habitatores, ante complures annos in ditione & territorio* Neræ *arbores quasdam deiecerant.* Nera *verò, quæ ciuitas primaria est, huic iniuriæ ferendæ non erat. Itaque res in bellum abijt: quod inter eos vel hodie recentissimum adeo est, vt se non mitius ac canes occidant lanientque, quotiescunque alter alterius victor esse potest: sicut horum conflictuum nosmet haud paucos conspeximus. Noctu tum in vrbibus, tum in syluis diligenter excubant: & mutuis inclamationibus sese inuicem excitant, contraque somnum tuentur; congressuri vero triremes ingrediuntur, quas tanta velocitate promouere norunt, vt vento agi validissimo videantur. Hæ* Caracoræ *dicuntur; ex tenui ligno pleræque conditæ, & funiculis colligatæ. Intus continaculis ligneis vniuntur, vt asseres probè sibi inuicem respondeant. Ad rimas autem claudendas non, vt nos, picem afferunt, verum cortices nucum Indicarum, quos* Clappus *appellant, malleis tundunt, & in cannabis formam comminuunt, quæ filamenta deinde fissuris indunt, & calce, quam ita industrie parare norunt, vt vi aquæ non abradatur, superius oblinunt. Ex his nauibus præliari commodissime possunt: quibus duo quoque plerunq; ænea tormenta ferunt vehuntq;, quæ satis industrie tractare possunt.*

Causa bellorum mutuorum.

Nauium rimæ calce oblinuntur.

Sed & sclopeta pugnaturi minora habent: vt & clypeos, acinaces grandiores Padang *dictos, quibus vti expeditissimè didicerunt. Nam artificiosè illis tractandis à pueris assuescunt. Præterea hastis quoque ex durissimo ligno factis vtuntur, quas ad præsumptum scopum rectissimè impellere norunt. Armorum quoque genus aliud habent, vncum nimirum nauali similem, cui perticam inserunt. Huic vinculum angustum connexum est.*

In prælio ergò si cominus depugnatur, tum in aduersariorum corpora huiusmodi vncos extorquēt seu eiaculantur,

& ad se eosdem valdè retrahunt. Insuper & galeas habent, quibus bellum inituri capita contegunt. Illarum summitati cristæ loco auem paradisi imponunt. Sic muniti iam se extra omne periculum statuunt. Nobilium quidam lamineis quoque thoracibus induti visuntur, quibus se aduersus omnia vulnera tutos arbitrantur. Illos Korselet vocant.

Quoties in pugnam cum suis triremibus exeunt, tum crepitus, strepitus, clamor clangorque tam hominum quam pelvium horrendus obauditur, non secus ac vniuersi furerent aut insanirent. Nobiles, qui in tabulis supremis stant, saltus miros edunt: quorum qui expeditiores præstat, nobilior censetur. Latera nauium circuitibus seu scamnis ex alga seu arundinibus cincta & suffulta sunt, quæ ipsam fere aquam attingunt. In his Sclaui seu mancipia consident, naues batillis magno strepitu incitatis promouentes, quas operas cantiunculis additis leniunt. His interdum tympanistæ aßident, & qui pulsare pelues solent. In bellis faciendis valdè prudentes sunt: sicut multoties vidimus. Nā postquam Labbetackenses aliquando cū 4. triremibus terrestri pugna apud Neram concernerent, qua multi occidissent, & plures vulnerati essent: re à Neranis indignè lata, mane illico sequenti cum 5. triremibus Insulam quandam paruam VVayger inuaserunt, quorum incolæ prægressa nocte in ciuitate Labbetacka, sibi confœderata excubias egerant. In terram itaque egreßi Nerani, Insulanos omnes, quotquot corripuerunt, interfecerunt, & capita eorum secum in Neram attulerunt, pro singulari ornamento suis triremibus affixa. Fœminas etiā aliquas secum captiuas abduxerunt, quas pro mancipiis Sabander asseruabat. Illarum vnam adacto acinace mediam dissecuerunt: ex quo nobis concludēdum erat, gentem eam valde barbaram & tyrannicam esse, quæ homines non secus ac bruta tractaret. A vicinorum suorum ergo laniena reuersi, diebus 4. vel 5. districtis & cruentis suis acinacibus ferocientes per omnem ciuitatem se spectandos obtulerunt, in ignominiam cæsorum acuendam. Nihilominus capita hostium solenniter & honeste contumularunt, hoc fere ritu. Ex triremibus reducibus egreßi capita vniuer-

Vindictæ auidi Nerani.

vniuersa in Sabandri domum comportarunt, & eadem sub magna arbore, infra quam oblongus lapis erat, ex ordine deposuerunt, vt quiuis spectatorum videret, quid & quantum virtute sua bellica confecissent. Ex hoc lapide postquam capita spectatoribus horæ spatio exhibita fuissent, eadem postea gossypinis pannis inuoluta, & patinæ imposita, sic terræ mandata fuerunt, suffitibus suauibus ex thure succensis, qui apud ipsos crebri vsus sunt. Propinquorum apud eos si quis moritur, tum fœminæ clamorem acutissimum & vehementissimum edunt, quo reuocare & defunctum excitare conantur, quod his oculis sæpè fieri vidimus. Mortuo vero non surgente, aut reuiuiscente, patrio more conuiuium lautum parant, ad quod omnes defuncti amicos, & qui sepeliendo comites iuerunt, conuocantur. Sepulturæ eorum eodem fere modo, quo apud nos fiunt. Cadauer veste gossypina candida integunt, & illud humeris susceptum ad sepulchrum ferunt. Funus primò viri, deinde fœminæ sequuntur. Quod si sepultum est, tum thuribulum toto die & nocte pariter accensum ibi fumigat. Nocte vero lampadem etiam sub tuguriolo, sepulchro superinstructo, accensam seruant. Porro verò tum mane tum vesperi nobiles pariter & ignobiles aduentantes, supra tumulum preculas faciunt, quas longo tempore continuant. **Ritus sepeliandorum mortuorum.**

Hi, cur id facerent, à nobis rogati, vicissim quæsiuerunt, an nostrorum aliquo mortuo, nos quoque non idem factitaremus. Quod negantibus, & vicissim quærentibus, quidnam precarentur, responderunt, hoc se orare, vt mortuus nunquam resurgat.

Crebra ludicra, pila mittenda habent. Id exercitium hoc pacto instituunt. In orbem seu circulum se statuunt. Huius medium vnus solus tenet. Pila postmodum in medium coniecta, ab vno emittitur, ab alio recipitur. Quod omne pedibus præstant, quibus pilam tam alte proiiciunt, vt vix manibus id fieri posse videatur. Pilæ siquidem globi rotunditatem habent, ex arundine Hispanica varie intorta concinnatæ. Porrò à pila qui aberrat, nec pede eam proycit, **Pila ludus.**

hic alte sibilatur & exploditur. Hic fere consuetus mittẽdæ pilæ modus est. Quidam eam subsilientes quoque impellunt. Alij turbinis more se rotant, & tamen à pila non aberrant.

Valdè senes in Banta.

Ætate ibidem quoque grandes homines visuntur, pro annorũ ratione & corpore & animo satis vegeti. Quosdam enim 130. annos natos illic vidimus. Fructibus sibi natiuis viuunt. Fœminæ operas conficiunt: viri otiantur, & in plateis inambulant. Fœminæ vero cum viris raro egrediuntur, sed domi plerunque latent, & rem curant domesticam, nuces scilicet myristicas siccando & excorticando, quas operas præcipuas faciunt.

Hollandi Banta soluunt.

Die 4. Iulij leuatis anchoris *Banta* soluimus, vtriusque nauis tormenta elidendo: quæ res incolis magnæ delectationi erat. Circa meridiem *Bantam* à tergo habuimus, & hinc intra Aquilozephyrum versus *Amboynam* secundo vento impulimus.

Noeselau incolæ hominiuori.

Die 5. sub auroram Insulam *Noeselau* conspeximus, cuius incolæ anthropophagi sunt. Hæc in vado iuxta *Ceru* sita est: à qua nos fluctus violentius longius aspulerat tamen, quam vt viam rectam teneremus. Annisi itaque sumus angulum *Amboynæ* occidentalem assequi. Sed & hoc propositum nostrum vẽtus aduersus interturbauit. Vbi, cum vna & nimbi, & turbines, & fulgetra inualescerent, vela stringere coacti sumus.

Die 6. ante angulum occidentalem *Amboynæ* bis tormentum exonerauimus, quibus signis curator & patronus *Seelandiæ* nauis ad nos accedendos inuitarentur. Qui, cum deliberatione habita vota collegissent, consultius rati sunt fore, vt naues versus *Iauam* deflecteremus, cum ad Almirantem in *Amboynam* peruadere impossibile esset. Cursum ergo versus austrozephyrum contendimus.

Die 7. 8. 9. bona & commoda vsi tempestate incæpta via perreximus.

Die 10. cursu nonnihil declinato, versus occidentem propius agentes, Insulam *Cebesse* prouidimus, in terras 7. vel 8. diuisam, ex qua littus porrectissimum in mare excurrebat, miliaria circiter 6. vel 7. longum. eodem ergo loco nocte ingruente subsistendum fuerat.

Die 11. versus Insulam *Bouton* properauimus, circa meridiem altitudinẽ loci captantes, in ipsa *Bouton* media. 6. gradus numeramus.

Die 12. sub auroram *Combaynam* Insulam transmisimus. A meridie collectis velis quieuimus, vt postero die maturius pergere, & ante solis occasum vadum *Celebes*, valdè periculosum, tenere possemus.

Die 13. circa vesperam vadum illud assecuti, fluctus incitationem violentam quidem, sed pro nobis tamen facientem experti sumus.

Die 15 & 16. feliciter promouentes, circa meridiem duas paruas Insulas conspeximus: quarum vna euronotum, altera austrozephyrum spectabat.

Die 17. altitudinem 7. graduum quadrante vno minus habuimus. Circa meridiem fines *Maduræ* orientales conspicati sumus.

Die 18. ad vesperam infra ciuitatem *Arosbay* nauigabamus, eo fere loco, vbi cæde naufragioque socios nostros perdideramus.

Die

Die 19. E regione terræ *Tuban* & *Sydaye* nauigauimus, cursum nostrum intra septentrionem & occasum versus altam terram Insulæ *Iapan* intorquentes.

Die 20. terram illam vidimus. Sub vesperam ex nostris in naui *Reynier Reyniertß* de *Schelling* obijt.

Die 21. Terram *Iapan* subintrauimus.

Die 25. cursum crebro variauimus; cum vbi essemns, non certè constaret. Sub vesperam Insulam *Iacketram* conspicati; noctu anchoris defixi quieuimus.

Die 26. procedentes sinum orientalem ad *Iacketram* vidimus, circa meridiem ante *Iacketram* anchoras misimus.

Die 27. scapha in terram, ad cibos & commeatum necessaria paranda, emissa est.

Die 28. & 29. in annona, tum oryzæ, tum gallinarum, *Coquos* & similium paranda insumpti sunt. Rex eius loci vice Almiranti nostro bubalum dono misit. *Hollandi bubalo donantur.*

Die 30. scapha ad emendam oryzam iterum emissa est. Nam duæ *Ioncki*, oryza referti ibi magno nostro commodo appulerant.

Dies 1. 2. 3. Augusti, annona paranda omnes insumpti sunt. Iisdem ex *Banta* scapha ad nos appulit, emissa à *Zeelandicis* nauibus, ibidem morantibus, nempe *Monte longo*, & *Sole Paruo*. Per hanc nobis nunciatum est, quod iam mensibus quatuor cum dimidio ibidem consedissent, fructus nouos expectantes. *Augustus.*

Die 4. vice Almirans cum *Montis longi* mercatoribus in terram egressus est, ad regem loci salutandum. Scapha verò dicta circa vesperam ad *Bantam* iterum procurrit.

Die 5. cibi parandi causa iterum emissi sunt.

Die 6. *Iacketra* soluimus, ad naues nostras recenti aqua reficiendas. Circa meridiem loco commodo anchoras misimus, & postero die noctuq; in aqua portanda anxiè desudauimus.

Die 8. hinc soluentes in *Bantam* contendimus. Sub noctem à *Banta* 4. ferè milliaribus anchoras fecimus.

Die 9. sub horam decimam perreximus, & vesperi infra *Bantam* consedimus: vbi nos mercatores & nautæ prædictarum nauium conuenerunt, & nauium suarum rationem explicuerunt, recensentes, in nauibus suis viros ad 36. mortuos esse: vt cogendis illis & promouendis iam non sufficerent.

Die 10. præfectus inferior egressus est, vt porcellanas & similia pararet.

Die 14. circa meridiem Gubernator in *Bantam* cum 400. viris ad nos venit, naues nostras spectaturus. Hic singulariter nos honorabat, & vice Almirantem, vt secum in terram egrederetur, officiosè inuitabat.

Die 19. sub auroram à *Bantam* soluentes, ingenti tempestate, nimbis permixta obruti sumus. Hæc vnius horæ erat.

Die 20. Littus ad *Iauam* præternauigauimus, cursum perpetuo intra austrozephyrum agentes. Hoc die aquę dispertiendæ ratio inita est, vt cuilibet in dies eius mensura vna, & vini cyathus vnus ministraretur. Vinum autem hoc ex Iauanico *Arack* erat, quod barbari illi ex oryza confecerant. Id forte & validum est.

Die 22. circa meridiem nimbi frequentissimi, cum fulgetris & crebris tonitrubus inualescebant, ita, vt vela colligere cogeremur. Hæc tempestas duarum ferè horarum erat.

Die 23. Tempestas commodior facta est. Cursui ergò insistentes primo

vento euroaustro feliciter promouimus. Circa meridiem in naui nostra tignarius, *Pieter Pauvvelß Harlemensis* obijt: qui defunctorum tertius erat in reditu.

Die 24. iterum sæua tempestas oborta est, quæ ad diem vsque 31. huius mensis perdurauit. Quo exacto, tranquillior redijt.

Septemb. Cal. Septembr. altitudinem graduum 15. minus. ⅓. obseruauimus. Circa meridiem scapham nostram ad accersendum nauis *Zeelandiæ* gubernatorem emisimus, vt coniunctis consilijs deliberaretur, quid porrò facto opus, & quæ meta deinceps tenenda esset. Sententia ergo præualuit hæc, versus zephyroaustrum annitendum esse, dum gradus teneretur 20. quod fluctibus aduersantibus in austrum assiduo deturbaremur.

Die 8. altitudinem captantes, gradus 20. inuenimus. A meridie nautam quendam, qui ex dysenteria obierat, eiecimus. Nomen huius erat *Daniel Kogher Hamburgensis.*

Die 10. altitudinem 21. grad. 14. minut. tenentes, intra medium austrum & aquilonem pertendimus.

Die 14. propter obortam sæuam tempestatem vela strinximus.

Tropicus capricorni. Die 15. passis velis intra occasum & septentrionem direximus vento dubio inconstantique: quo loco nos sub Tropico capricorni versari opinabamur.

Die 20. altitudinem 26. grad. & 15. minut. habuimus. Porrò ergo leni vento pergentes nos à *S. Laurentij* Insula milliaribus 150. abesse credideramus.

Die 24. ex Septentriozephyro aduersa tempestas increbuit.

Die 26 placidior ea facta est. Gradum hic 29. & minut. 15. tenebamus.

Die 30. gradus 28½. habuimus. Vento ergo occidentali, intra Aquilonem impulimus. Ibi nos à *Cabo de Roman* 100. milliaribus abesse opinabamur.

October. Cal. Octobr. ventum secundum nacti, circa vesperam intra meridiem & occasum promouimus.

Die 5. 30½. gradus obseruauimus. Hinc vento austrino in occasum obliquauimus.

Die 12. tempestate aduersa iterum coorta, vela strinximus.

Die 14. altitudinē grad. 34. min. 20. captauimus. Eodem auium magnum numerum vidimus.

Die 19. ex medio Austrozephyro tempestate concussi tandem tranquillitatem recepimus post dies multos exactos.

Die 29. tempestate iniqua pulsi, vela strinximus. Noctu cœlum omne crebris tonitrubus & fulgetris fremuit.

Die 30. altitudinem 33½. tenuimus. Hic à Cabo 150. fere milliaribus nos abesse ratiocinabamur. Circa meridiem inclaruit cœlum, & nos intra medium occidentem aquilonemque impulimus.

Nouember. Calend. Nouembr. eandem metam sedulo tenuimus.

Die 2. summa tranquillitas vsque ad vesperam erat: à quo ventus se nobis obtulit commodus & secundus.

Die 3. ex oriente & septentrione medijs venti adhuc felices perflabant, vt cælo claro & sereno commode promoueremus. Circa vesperam propter repente concitatam tempestatem vela strinximus.

Die 4. intra Aquilonem & occasum valido vento incessimus.

Die 6. in naui nostra turturem captauimus: vnde à littore aliquo nos nō longe abesse, ratio dabat.

Die

Die 10. circa meridiem terram *AEthiopiæ* sub altitudine 32½. graduum vidimus, nempe angulum de *Ploemera*. Circa vesperam ventum orientalem nacti, intra meridiem & occasum impulimus.

Die 11. tempestas impetuosa erat. Hoc piscium ingentem numerum vidimus, quorum haud paucos etiam captauimus.

Die 12. altitudinem grad. 35. tenentes, vesperi intra meridiem & aquilonem vento aduerso immisimus.

Die 13. *Zeelandia* nauis tanto post nos interuallo erat, vt vix è specula eam prouidere liceret. Velis itaque nonnullis in nostra naue collectis, lentius progressi sumus, vt commodius illa nos assequi posset. Circa meridiem altitudinem grad. 36. habuimus, & à *Cabo de Anquillos* 50. adhuc milliaribus abesse nos æstimauimus.

Die 15. altitudinem grad. 37. minut. 15. captauimus.

Die 16. circa meridiem ventum nacti aquiloeurum, valde commodum, ad occiduum latus impulimus. A meridie nimbi crebri cum fulgetris sæuiebãt. Vesperi cœlũ clarius factum est, vento Aquiloeuro valido coorto. Hoc tẽpore singularis quædam lues, contagiosaq; dispositio nostros inuasit, vt derepente 22. ea corriperentur, & infirmarentur.

Die 18. altitudinem grad. 27. & min. 15. tenuimus, *Cabo de Anquillos* in septentrione habentes.

Die 20. altitudo 34. grad. 22. min. erat. *Cabo de bona esperanza* 18. milliaribus hinc distabat.

Die 21. vento austroeuro perflante, felici successu & commodo cœlo promouimus.

Die 30. altitudo grad. 23. min. 15. erat. Sub meridiem tropicum capricorni transmisimus, intra Aquilozephyrum impellentes.

Cal. Decembr. altitudo 22. grad. 20. minut. fuerat: quo die sol recta nobis supra verticem erat. *December.*

Die 2. altitudo grad. 20½. erat. Hoc die tormenta nostra iterum, vt decuit, dis[p]osuimus.

Die 6. altitudinem grad. 17. minut. 8. tenuimus. Cursu ergo priore perreximus.

Die 7. mane post ientaculum sumptum insula *S. Helenæ* conspectui nostro detecta est, quæ nobis intra occidentem & aquilonem cubabat. Noctu vela collegimus, quod eam assequi non liceret.

Die 8. illius portum circa meridiem ingressi, 30. orgijs anchoras fundauimus, à terra nonnihil remotius. Patronus itaque cum præfecto inferiore scapha in terram egressi sunt, vt de aquæ inuasandæ commoditate prospicerent. Eadem adhuc vespera capræ & apri, in Insula capti, nauibus illati sunt.

Die 9. ægros nostros in terram extulimus, & recentem aquam importauimus. Sociorum nonnulli ad feras figendas egressi, vesperi aliquot captas attulerant, magno omnium gaudio. Inter cætera vero mali nullæ ibi reperiebantur, quarum fructum comprimis optassemus ad eos reficiendos, qui scorbuto vexabantur.

Die 14. sociorum nonnullis ad feras figendas iterum egressis, loco quodam vltra 4000. aurantia poma legerunt, & eadem ad naues attulerunt. De quo successu gaudium solenne erat.

Die 31. ægros ex terra nauibus rursus intulimus.

Cal. Ianuarij, ex Insula *S. Helenæ* soluimus cursum porro in desideratam dudum patriam agentes. *Ianuarius. Ann. 1600.*

Die 2. & cæteris sequentibus perpetuo intra septentrionem & occasum medios

medios procurrimus, vento Austroeuro secundo flante. Hoc loco pisces plurimos volantes vidimus.

Die 14. pluuiæ increbuerunt. Alias priore vento continuante.

Die 18. circa meridiem lineam septentrionalem transnauigauimus. Hoc die ingentem copiam piscium, *Dorados* dictorum, & vidimus & cæpimus.

Die 22. venti quiescebant: aër pluuijs, fulgetris & tonitruis strepebat.

Die 23. dubius ventus erat, tempestas non per omnia commoda. *Dorados* piscium hic iterum magnum numerum captauimus.

Die 28. pellacia erat. Circa vesperam lenis ventus spirabat. cursum ad aquilozephyrum direximus.

Eclipsis Lunæ. Die 30. manè eclipsis Lunæ erat. Ibi altitudo 5. grad. existebat. Vento itaque Aquiloeuro versus aquilozephyrum deflexímus.

Calend. Februar. vsque ad 5. diem versus occidentem propius accurrimus. His diebus primis polum Antarcticum vidimus, quem à longo tempore amiseramus. *Polus Antarcticus.*

Die 6. circa meridiem altitudinem 8. graduum tenuimus, & hinc commodo aquiloeuro pernauigauimus.

Die 7. altitudo grad. 9. erat.

Die 10. erat grad. 12. completorum.

Die 13. erat grad. 15. vbi *Isle de Mayo* versus ortum à nobis ad 150. milliaria abesse augurabamur.

Die 14. ventum austroeurũ placidum nacti, naues versus septentrionem præcipue adegimus.

Tropicus cancri. Die 22. altitudo 23. grad. cum semisse erat. Quo tempore nos sub Tropico Cancri esse censebamus.

Die 25. *Sargassa* frequens nobis obuersabatur. Ventum validum aquiloeurum habuimus.

Die 26. altitudo grad. 28. erat. Ventus spirabat placidus. Hoc loco *Palm* ad Eurum à nobis 300. circiter milliaribus abesse æstimauimus.

Martius. Die 11. Martij altitudo graduum 41. erat. Intra aquilonis & orientis ergo medium velificantes, circa vesperam tempestatem pluuijs & nimbis ingruentem sustinuimus.

Die 12. ventorum tantus impetus erat, vt velis collectis opus esset. Et cum caliginosus aër esset, altitudinis æstimatio fieri non poterat.

Die 14. duas ante solis ortum horas, venti vi remittente, vela iterum explicauimus, intra septentrionem & ortum festinantes. Graduum 42. hoc loco altitudo erat.

Die 15. ventorum noua insultatione concussi sumus.

Die 16. Eadem tempestas continuauit. Hoc die vini partiendi ratio mutata est, vt cuiuis duo saltem cyathi deinceps cederent.

Die 24. altitudo grad. 48. erat. Vesperi bolide missa, fundus teneri non potuit.

Die 25. altitudo 48½. graduum erat. Hoc iterum mittentes plumbum fundo caruimus, vt nos longius ad occasum deflexisse augurraremur.

Die 29. Aër tam nebulosus erat, vt putarent *Zeelandiam* nauem terram tenere. Qua causa tormenta disploserunt.

Die 30. sub vesperam, ex specula cacumina quædam Angliæ prospeximus: vnde nos à terra illa sex circiter milliaribus abesse, credibile erat. Sub noctem turbine validissimo aquilozephyro concussi fuimus.

Nocte media naues duas conspicati sumus, cum quibus tamen nihil collocuti fuimus.

Die

Die 31. à meridie in occasum nos conuertimus, turbine fremente adhuc & impellente. De nocte aliam rursus nauem vidimus.

Die 2. Apr. *Zeelandia* signo dato petijt, vt scapham nostram illo emitteremus, vice Almirantem cōsultum, quid facto opus esset. Nam in naui illa quidpiam confractum fuerat. A meridie tempestas noua resultauit. *Aprilis.*

Die 3. turbines continuauêre. Dispensatio itaque olei mutanda fuerat, vt in dies singuli duos saltem cyathos caperent.

Die 9. cum binis Gallicanis nauibus sermones habuimus, quæ nostro alloquio primæ obuenerant.

Die 10. obuiæ naui ex *Calis malis* locuti sumus: quæ vino onerata, *Calas* in Galliam festinabat. Tum ipsa nauis, tum huius patronus *Enckhusam* spectabant, vbi patronus quoque habitauerat, *Ian Franß* dictus. Remiges verò Galli erant. Ab his duo vini dolia emimus.

Die 11. secundum longitudinem *Kiskassen* prouolauimus. Mane dicta nauis à nobis secessit.

Die 12. sub noctem *Seelandia* à nobis aberrauit, quod ea valde caliginosa & nebulosa esset.

Die 13. eadē adhuc à nobis desiderabatur. Noctu nonnihil ad septentrionem declinabamus, vela stringentes, vt naui *Seelandiæ* rursus associaremur.

Die 14. mane iuxta *Wierley* incedētes, classem 30. ferè nauium conspicati sumus, *Seelandiam* tamen nedum notantes. Circa meridiem terram de *Doeueren* prouidimus, infra littora Galliæ Euronotum placidissimum nacti: sub noctem *Doeueren* præternauigauimus.

Die 15. die exoriente *Duiinkercken* & *Calis* vidimus, vbi aquilonarem ventum accepimus. Circa meridiem versus *Doeueren* deflex imus, vt nonnihil ibi quietis captaremus. Hoc loco *Zeelandia* nobis reddita venit. Vesperi infra *Doeueren* anchoras emisimus.

Die 16. sole exorto, ad commeatum parandum scapha emissa est. Ventus Aquilozephyrus valentissimus spirabat.

Die 20. nūcius ex *Londino* vice Almiranti cū literis datis varia nunciauit.

Hinc in *Texelia* feliciter appulimus. Tandem Amstelredamum inuecti nuces muscatas saccis collectas sub magnum hominum concursum exonerauimus, & in domum mercatoriam intulimus. Quæ omnes adhuc tam recētes & succulentæ erant, vt ex ijs oleum facile exprimi posset, tam nobile & generosum, vt efficacius nullum adhuc vnquam *Vlisbonam* inuectum sit. *Duæ naues Holland. Texeliam ingrediuntur.*

Postquam itaq; binas has naues *Zeelandiam* & *Geldriam* cum suis mercibus domū feliciter perduximus: ad duas posteriores, nēpe Amstelredamum & *Sticht de Vtrecht* nobis redeundum est. Quæ postquam duorum fere mensium spatio ad *Amboynā* frustra moratæ consedissent, tandem 8. Martij An. 1599. inde soluentes, cursum in *Moluccanas* Insulas impenderunt. *Reditus ad duas vltimas naues. Martij 8. Anno 1599.*

Die 13. An. 1599. cum ante Tuban sideremus, tres *Ioncki* militibus plenæ ex *Iaua* ibidem appulerunt. Hos enim de ferēda ope & suppetijs sollicitauerant in castello quodam occupando, ex quo Lusitani quotidie illis plurimū incommodabant. His ergo *Iauanicis Ionckis* aduentantibus, milites auxiliarij eleganti pompa seu triumpho excepti sunt. Qui cum in terram egressi essent, ad tentoria sibi & tuguria struenda plurimæ *Coquos* arbores magno incolarum detrimento præsectæ & deiectæ sunt.

Die 20. cùm ſclopetis aliquot in terram ad feriendas aues egreſſi, virides columbas adepti ſumus, anates noſtrates mole referentes.

Die 25. *Ian Corneliſʒ Edamenſis* obijt, primus, qui in terra illa ſepeliretur.

Die 29. Literæ ad vice Almirantem in *Bantam* miſſitatæ ſunt. Eodem die nonnihil mercium nauibus rurſus illatum eſt, quod de pretio conueniri non poſſet cum incolis.

Vltimo die Almirans ipſe in terram egreſſus eſt, vt pretium mercibus ſtatueret. Sed tamen conuenire non poterant.

Aprilis. Calend. April. *Iſaack Hendricks* de *Rees:* & poſtero die *Gysbrechtus Wolffertſʒ* obierunt. Hi in littore ibi ſepulti ſunt.

Pretium Garyophyllorũ in Amboyna. Die 10. noſtri cum incolis de pretio Garyophyllorum conuenerunt, ita, vt pro eorum *Baer*, Regales 35. octonorum numerarent. *Baer* autem hoc loco 550. libras appendit.

Die 12. Taxatæ galeæ noſtrates ſunt, & ſtatutum, vt pro qualibet 250. libræ Garyophyllorum appenderentur.

Die 13. Garyophyllorum aliqua quantitas in naues illata eſt, ex his, quos primos acceperamus.

Die 19. ſcapha vice Almirantis ex *Banta*, 28. milliaribus à nobis diſtante appulit, nuncium ferens, quod iam dum myriſticarum & macis onera 30. is acцepiſſet, & naues breui integras completurus eſſet.

Die 19. *Luſitani* impreſſionem in oppidum quoddam *Amboynæ* meditati ſunt: ſed ſucceſſu nullo, imo aduerſo. nam de ſuis duos perdiderant. Inſulani enim omnes ad defendendum id oppidũ confluxerant. Almirantis venia quatuor noſtrum in *Prauuo* cum Regis in *Ternate* fratre ad pugnam ſimul profecti ſunt. Quod Inſulanis prodigij inſtar erat, qui non aſſueuerant videre, vt Hollandi contra hoſtes Luſitanos in pugnam prodirent.

Maius. Die 2. Maij tubicen in naui *Ian Martſʒ* obijt, qui *Italus* erat.

Die 8. in *Amboyna* pro Garyophyllis nonnullas merces commutauimus, etſi illos tenui copia acceperimus. Oryzæ tamen nulla inopia erat, ſed ſumma vbertas, adeò, vt pro leuibus ſpecillis 15. aut 16. libras oryzæ reciperemus. Commerciis itaque valde ſterilibus exiſtentibus, hinc ad *Moluccas* ſoluimus, & nobiſcum ex Regis nobilibus quendam aueximus, qui ſe Regis fratrem (at

Rex Amboynæ quot coniugum maritus. falſo) gloriabatur. Iſte recenſebat nobis, huius de *Amboyna* Regis patrem 70. circiter vxores habuiſſe, concubinis exceptis: quem filius quoque in præſentia rex æmularetur, qui iam dum præter concubinas 40. legitimas coniuges aleret.

Die 14. *Albertus Pitertſʒ* ex naui *Ian Martſʒ* obijt.

Die 16. ſub noctem lineam tranſgreſſi mane *Ternatem* & *Tidorem* Inſulam proſpeximus.

Die 22. infra *Ternatem* Inſulam orgijs 15. ſubſidimus.

Die 25 *Goeden Iacob* obijt, noctu in eadem Inſula ſepultus.

Die 28. Rex *Ternates* ad naues noſtras venit, quas tamen aſcendere nolebat, ſed Almirantem ad ſe in *Karkol* ſuum vocabat. Quo facto, per interpretes diu confabulati ſunt, adeo, vt ſpem conciperemus fore, vt Rex naues ingrederetur. Quod tamen is perpetuo negabat, varia comminiſcens. Nam tum ſcalæ,

Rex Ternates cum ſplendido apparatu naues noſtras ſpeculatur. quibus in naues aſcenditur, incommodæ erant: quibus panno inſtratis, tum præterea tempus ſerotinum cauſabatur, quod faciendis, vt aiebat, precibus deſtinaſſet, cum ſol iam occaſui appropinquaret.

Die 29. Rex idem ad naues noſtras 23. *Karkollis* probe inſtructis ſtipatus redijt. Pro ſui defenſione in naues 100. circiter tormẽta ænea impoſuerat: quo apparatu quaſi triumphans naues noſtras tertia vice obiuit, magno ænearum pel-

peluium & tympanorum longiusculorum strepitu impulsuque. His ita agitatis, munitionem omnem nostram, tormenta, Musquettas, hastas & reliqua nos intus adornabamus, & partem populi nostri in profundiores naues amandabamus, cæteros in tabulatis superioribus collocabamus, qui contra impressionem violentam, si quam facturi fors essent se paratos opponerent. Illorum tamen nemo nauibus appropinquabat, præter *Karkollam* regiam. Ipse autem rex naues nostras minimè ingrediebatur, sed centurionem quendam mittebat, qui per interpretem Almiranti nostro loqueretur.

Postea sub vesperam rex iterum ad naues appulit duabus saltem *Karkollis* comitatus, quarum vna *Praucken* seu scapham vnam appendentem trahebat. Rex ipse quidem naui nostræ quam proxime succedebat, alterâ vero *Karkollam* aliquousque in mare procurrere iubebat. Huius vector, cum longius abiisset, scapham è *Karkolla* sua liberam fecit, & eandem in vnda sic fluctuare liberam permisit. Tum rex Almirantem rogabat, vt in eam tormenti globum eiacularetur, & si fieri posset, glande emissa feriret. Mandato itaque Almirantis glans ex tormento emissa, scapham penitus comminuit. Quo viso Rex valde gauisus est: cui Almirans indicabat, eadem facilitate se quoque *Karkollam* ipsam feriturum & confracturum fuisse.

Die 29. sub vesperam *Reynartus Renartß* obijt, quem in littore sepeliri curauimus.

Die 30. Rex iterum ad naues appulit, sed habitu simplici, & apparatu minime regio, tentans, quid animi haberemus. Nam cum per emissam *Karkollam* de accessu suo nobis indicium fecisset, postea vili scapha, ex *Karkolla* quadam reuincta inter viros quatuor sedens aduenit, vt in isto numero Regem esse minime nobis suspicari liceret. Cum ergo ipsum deinceps appulsurum arbitraremur, incoram iam præsens erat. Nauem tamen nostram introire minime volebat, sed in *Karkollam* transcendens, de varijs rebus quæsiuit, quarum enarratio hoc loco superuacanea sit.

Die vltimo spectrum in *Ian Martß* cubiculo, tantum tumultum concitauit, vt præfecti nostri inde exire cogerentur. Id sub noctem mediam erat. *Spectrum in naue.*

Die Iunij 2. officiarij nostri ad Regem in terram egressi, muneribus eum oblatis afficiebant. Hi reuersi nunciabant, garyophyllorum ibi satis esse: & indigenas postero die merces nostras spectatum venturos, & simul de emptionis modo deliberaturos. *Iunius.*

Die 3. Id præstitum incolæ venerunt. Merces quidem omnes viderunt, sed de permutationis modo conuenire non potuerunt. Nam vnum *Baer* garyophyllorum 120. Regalibus octonorum æstimabant. cui summæ nostri moderationem nullam sciebant.

Die 10. de victus quantitate detractum est, vt nimirum indies semel vel pisces vel carnes, & ter oryzam pro cibo acciperemus.

Die 11. officiarij nostri iterum egressi sunt, vt de æquiore censu cum rege conuenirent. Sed quod diem illum festiuum haberent, nihil effectum est.

Die 12. officiariorum quidam cum nonnullis mercibus in terram egressi sunt. Circa vesperam Rex ad naues redijt, nec tamen eas ingressus est, verum à nobis inauratam *Musquettam* rogauit, quam honorariam facilè impetrauit. Ipse vero, ꝙ postea intelligebamus, pretiũ eius in pendendo vectigali sibi detrahi iubebat, pro ea stipulans *Baer* duo cum semisse. Interim pro vectigali decimas poscebat.

Die 18. Garyophylli primi nauibus oblati sunt, duo nempe *Baer* aut nonnihil plus. Hos vniuersos fere pro paruis vitris recipiebamus, quales agyrtæ habent. Horum 600. pro vno *Baer* garyophyllorum adnumerabamus.

Die vltimo ordo carnis & piscium iterum mutatus est, vt deinceps singulis septimanis bis saltem carnes, & toties pisces præberentur.

Iulius. *Pretium garyophyllorũ in Ternate.* Die 9. Iulij, secundum monetæ valorem, pretium garyophyllorum statutum est, *Baer* nimirum vnum pro 54. Regalibus octonorum. *Baer* autem hic 620. librarum erat.

Die vndecimo *Ternatenses* ex Insula *Tidore* reuertebantur, cuius pagum quendam spoliauerant, secum gladios nonnullos & scuta, quibus aures & crines cæsorum adhuc cohærebant, afferentes. Spolia hæc ante regem suum deponebant, vna cum captiua Lusitanica fœmina, quæ pro mancipio damnata & diuendita est.

Die 24. *Ternatenses Tidorem* Insulam iterum obruerant, secum 5. præcisa hostium capita, & captiuos aliquot adducentes. Ex his vnum in conspectu nostro trucidabant, cum iam naues egressi essent. Posteà ex iisdem captis quoque alteri caput amputarunt, qui peregrinus erat, & commercij causa illuc venerat.

Rex naues perlustrat. Die 25. Rex *Ternates* tandem naues nostras ingressus est: quas cum probe speculatus esset, Almirantem rogauit, vt ex sociis nostris aliquot in illa regione relinqueret. Loca nauium omnia adibat, & quicquid obuium erat, ipsi placere videbatur. Quin etiam in culinam cum irruisset, follem in foco inuentum, sibi dari petiit.

Quem cum accepisset, spiritum confertissimum in proprium os suum efflauit, vt nobis ex parte insanire videretur.

Die 28. Rursus ad nauem adijt rex: quam tam accurata diligentia dispexit, quasi eam totam empturus esset. Hoc vero fine præcipuo is redierat, vt nostrorum sociorum quosdam suos faceret. Sed ibi manere nulli volupe erat.

Die 29. Ex *Banta* nauicula aduehebatur, de binis illic morantibus nauibus nuncium ferens, quod iam parte maxima oneratæ essent. Cuius tamen rei veritatem indubitatam comperire non licebat. Nam iam à *Banta* ante 6. septimanas soluerant.

Augustus. Die Aug. 4. iterum nonnihil mercium ad naues allatum est. Nos itaque rebus sic stantibus paulatim discessui nos adornabamus.

Die 5. Almirãs terram adijt, ad regem, qui cum *Karkolla* sua in littore morabatur, compellandum.

Die 6. is iterum egressus est, merces varias Regi donaturus.

Die 12. Mercatores vniuersi ad naues se receperunt, vt exinde soluerent, & in patriam viam relegerent.

Die 13. Rex naues redadijt, de recentibus garyophyllis contracturus. Hoc die pro mercibus garyophyllorum 250. *Baer* commutauimus.

Quinam in Ternate remãserint. Die 14. 15. & 16. Rex cum Almirante tractauit & decreuit, vt è numero nostro viri quinque cum puero in Ternate remanerent. His merces aliquammultas cum magna pecuniæ summa reliqueramus, vt garyophyllos recentes commercarentur, & intereà, dum naues nostrę redirent, pro mercibus permutarent. Horum qui post nos manserant, hæc nomina sunt: *Franck Verdoes*, pretoris Amstelredamensis, *Wilhelmi Verdoes* pater, *Dirick Florisß Harlemus*, *Iacobus Lambertß Amstelredamensis*, *Ian Ianß de Grol*, *Cornelis Adriaenß Leodiensis*, & tandem puer horum *Hendrick Ianß Amstelredamensis*.

DESCRI-

DESCRIPTIO INSVLÆ TERNATES, A BANTA 28. MILLIARIBVS DISSITÆ: CVI annexa sunt pleraque memorabilia, à nobis ibidem obseruata.



ERNATE *Insula rerum esculentarum valde sterilis est. Nam pecora nulla alit, præter* Caberytos *seu hircos, qui rari sunt, vt etiam gallinæ. Terra nec oryzam fert, nec frumenta alia pinsendis panibus apta: Quos ex arbore quadam quærere coguntur. Quam detruncant, finduntque: fissa ligna malleo ex crassa arundine facto tam diu pulsant tunduntque, dum farina decidat, lignorum segmentis similis, quam sua lingua* Sagge *nominant. Ex hac panes pinsunt, valde candidos, magnitudinem manus habentes, quadrilateros. His pleraque sua commercia perficiunt: Nam quicquid vendunt emuntque, per panes fit.* Coquos *quidem &* Bonanas *arbores nonnullas fert, vt & limonia, aurantiaque: Garyophyllos tamen copia maxima.* *Ternatē esculentorum valde sterilis.* *Panis ex ligno.*

Minime piscosa regio est: sed esculentorum omnium inanis. Incolæ satis quidem benigni & benefici sunt, sed in rogando nonnihil impudentes. Qua natura tum rex ipse, tum eius plerique aulici sunt. Osores furti acerrimi sunt, adeo vt deprehensum nullum impunitum dimittant. *Furti pœna.*

Cum aliquando in terra prodeambularemus, accidit, vt infans seu puer 11. vel 12. annorum folium vnum aut alterum Tubac *cuipiam surriperet. Quo in facto cum prehenderetur, manibus post terga reuinctis per plateas publicas deducebatur, pueris gregatim vndecunque accurrentibus, & in eius ignominiam patria lingua furtum ipsi fœde exprobrantibus.*

Lusitanorum hostes iurati sunt. Nam è regione Ternatis Insula Tidore, à Lusitanis considetur & habitatur. Cum his assidue præliantur, & quoscunque corripiunt, non secus ac canes fœde trucidant: sicut huius rei exemplum, dum ibi essemus, vidimus die 20. Iulij Ann. 99. Nam Ternates *in Insulam* Tidorem *excurrentes pagum illic quendam per* *Ternates Lusitanorum hostes acerrimi.*

 vim

vim obruerunt, & incolarum tres occiderunt, 43. vero captiuos abduxerunt. Inter quos & Regis Tidores *cognatus erat, vir validus, annorum 21. qui vinctus ad Regem* Ternates *abreptus, cum suam causam dixisset, iussus est, vt manus ibi laueret. Quod facturus, cum se in terram nonnihil inclinaret, à tergo aßiliens quidam, incuruati tergo acinacem tam valida vi impulit, vt humi vniuersus sterneretur. Quo facto, alius quoque accedens, tanto vulnere prostrati corpus diuisit, vt vniuersus pulmo cum ipso hepate erumperet. Qua tyrannide completa, cadauer eius de* Prau *seu nauicula religarunt, & eam liberam cum alligato pondere vndæ mandarunt.*

Regis palatium. *Palatium* Ternates *Regis ex lapidibus constructum est. Ante quod parua ædicula stat, tormento grandi imposito conspicua, quod olim* Capitaneus Draco *neceßitate sic poscente ibidem è naui exturbauerat, incolæ verò deinde eruerant.*

Tela & arma. *Cæteræ alias ædes ex crassa arundine conditæ sunt, quas findunt, & singulari industria intorquent. Tela incolarum præcipua sunt, ligneæ aut arundinaceæ hastæ, quas manibus expeditißimè & violentißimè vibrare sciunt. Gladij etiam longi, latique, quibus cum scutis oblongis non secus ac ex asseribus paratis, & 4. fere pedes æquantibus vtuntur. Nonnulli illorum Musquettis etiam vti sciunt, sed pauciores. Nam ibidem nullas habent, præter, quam, quas à Lusitanis captant.*

Eclipsi comparente qui se gerant. *Quod si aliquando Eclipsis vel solis vel Lunæ accidat, tum misere plangunt dolentque & eiulantur, quod persuasum habeant, vel Regem ipsorum, vel primatem alium moriturum. Quod ipsum quoque nostræ commorationis tempore factum est. Nam sexto Augusti circa octauam vespertinam cum Luna obscuraretur, motus & gestus miros edebant, tum clamando & vociferando, tum precando, tum tympana & pelues pulsando, tum mœrorem omnem, omnem consternationem exhibendo. Cum ergo à nobis rogarentur, qua causa tantopere plangerent, reposuerunt nobis, Lunam iam obscuratam*

ratam

ratam aut ipsi Regi, aut cognato eius proximo alicui, aut consiliario primario mortem portendere. Obscuratione consummata, si nec Rex, nec amicorum quisquam mortuus est, tum festum solenne agunt, & postero die processione publica circumeunt: in cuius prima parte nonnulli porcellanas gestant. Hos sequuntur alij cum hastis, bipennibus, Musquettis, & sclopetis. Post hos tres Lampades feruntur ea forma, qua apud nos vuæ terræ sanctæ pingi solent. Deinceps puer quidam Regio habitu vestitus sequitur, quem alius cum vmbella aurea anteambulat. Tandem magna caterua fœminæ sequuntur, tam iuuenes, quam annosæ, eleganter decoratæ & politæ. Quo processu declarant, apprime se gaudere, quod Eclipsis illa nemini primorum fatalis fuerit. Cum his ipsis commemorassemus, quod in nostris regionibus homines vel Lunæ vel Solis eclipsin futuram præuidere & prædicere sciret: rem hanc aut impossibilem esse, aut penitus miraculosam, contenderunt.

Pisces grandiores capturi, hac arte vtuntur. Pisciculos primo minutos retibus concludunt. His captis, arundinem longam surrectam in nauiculæ proram statuunt, in cuius summitate foramen excisum est, per quod funiculum hamo donatum demittunt. Hamus vero folio aliquo contectus est. Sic ergo funiculus vento ante nauiculam propellitur. Postea ad funiculum piscaturus considens, pisciculos aliquot hamo obijcit recta supra aquam suspenso. Quo dolo maiores pisces fallunt & inescant, dum capiantur. Sed & ad captandos eos corbibus vtuntur, quos in fundum emittunt. Vbi si diutius fuerint, de scapha deorsum in aquam prospiciunt, &, an pisces aliqui capti sint, obseruant. Quod si qui insint, tum ex scapha quis in vndam exiliens, corbem cum piscibus ex fundo attrahit. Hic si quis roget, quî fieri possit, vt corbem, infra vndam 15. 16. 17. orgijs in fundo iacentem, videre, & an pisces insint vel non, discernere piscator possit: hic sciat, eius loci aquam tam claram & pellucentem esse, vt anchoræ quoque nauium in fundo expressissime videri queant. Nec hoc saltem, verum etiam obnatantes pisces quoquouersum accuratè

Modus capiendorum piscium maiorum.

ratè obnotari posse, pernoscat. Nam vndæ fundus tam clare prospici potest, ac si vnum saltem pedem à contuentis oculo distaret.

Rex vt templū adeat sacrificaturus.

Rex templum, Musquitam, sacrificij offerendi gratia aditurus, anteambulonem puerum, humeris gladium gestantem, habet. Idem altera manu hœdum ducit. Hunc pars militum regiorum sequitur. Post hos alius thuribulum præfert. Hunc ipse Rex insequitur, cuius capiti pro arcendo sole Tiresol seu vmbraculum obtenditur. In latere regis stipendiarij quidam milites volantia vexilla erigunt. Vbi ad fores Musquitæ ventum est, ollæ seu cacabi aliquot aquarij stant, ex quibus tum manus, tum pedes lauant, priusquam ingrediantur. Ingressi, vestem puram candidam ante se humo insternunt, in quam genubus prouoluti manus complicant, & facie terram incuruati aliquoties attingunt, secum nescio quid leuiter motis labris demurmurantes. In templi medio suggestum, panno candido constratum, stat. Campanarum loco tympanum quoddam grandius suspensum est, quod adactis fustibus pulsant. Campanam tamen etiam ad minimum in templis vnam habent, sed pistillo carentem: quam re alia percutiunt, si necessitas sit.

Hac pulsata, omnes confluunt, tum diuites, tum pauperes, alij hastis, alij gladijs & scutis, nonnulli Musquettis, quidam sclopetis simplicibus, qui tamen rarissimi sunt, minitabundi.

Nauis regia qualis sit.

Karkol regia vtrinque ambulacris seu circuitibus ex arundine Hispanica obsepta est. Hi ab illis occupantur sclauis, qui remos ducunt seu trahunt, binis vna semper considentibus. Sed & intra ipsam nauem remiges sunt, apud quorum singulos fasciculus iaculorum depositus iacet. Remorum loco spathas ligneas adhibent, & aquam ex latere decutiunt. In parte Karkollæ superiore, tympanistæ & peluicrepi consederunt. In eadem 7. ex metallo fusa tormenta conduntur: vt & surrectæ longæ hastæ statuuntur, nostratibus longe proceriores. In eadem quoque lectulus, aureis tegetibus instratus est: ad quem ferrei regis thoracis pars anterior & posterior vna cum galea suspensa hærebat. Supra tegetem aureo filo intertextam

tam rex nonnunquam considebat, aliquando cubabat: apud quem semper proximus erat, qui ventulum ei faciebat. Hic breui & crassa statura vir erat, capite grandi & monstrosè notabilis. Rex hic potentissimus est, sibi subiectas Insulas circiter 70. habens. Qua causa à subditis suis quoque insigniter colitur & æstimatur.

Die 19. ad complendum nostrum iter *Ternate* soluimus. *Hollandi Ternate abeunt.*

Die 21. iuxta Insulam quandam *Macha* dictam, & inter *Moluccanas* numeratam, lineam transgressi sumus.

Die 22. carnarium vltimum prandium nobis fuit, cum iam nihil eius superesset, præterquam quod semel bisue sufficeret. Quod ergo comederemus iam nihil supererat præterquam olei modicum, & induratus panis, qui vermiculis scatebat, oryzæ itidem modicum, & nonnihil aquæ, cũ vini cyatho vno.

Die 30. Insulam *Obã* prouidimus, ad cuius partem aquilonarem transmisimus. Hæc satis magna videbatur.

Die 6. Sept. latus Insulæ *Obæ* occidentale tenuimus: quo loco tot tamque crebrę confusæ Insulæ comparebant, vt commode numerari non possent, breuijs multis horridæ, vt inter ipsas propè inuolueremur. Hæ Insulæ ad austrum grad. $2\frac{1}{2}$. à linea sitæ sunt. *September.*

Die 10. Caseus 7. librarum 12. florenis & 10. Stiberis venditus est.

Die 11. sub Insula quadam ad *Obæ* occidentem anchoras misimus: quo loco plures Insulæ conspiciebantur, nobis non cognitæ, quod nauticæ mappæ ibi duas saltem monstrarent. Ibi tamen anchoris fundus valde idoneus erat, vt qui orgiarum 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. arenam solidam contineret. Postero mane hinc rursus emouimus.

Die 12. sub eadem Insula anchoras iterum iactauimus, quod *Ian Martß* naue sua à nobis abijsset, vadũ & transitum ibi quæsiturus. Qui tamen postero die infecta re ad nos redijt, cum reuersionis signum ab Almirante tormento factum accepisset.

Die 13. *Ian Martß* reuerso vela promouimus, circa meridiem tamen anchoras iterum iactare coacti, quod propter desubito coortum ventum aduersum *Ian Martß* nos assequi non posset. Eo tamen circa vesperam appellente, iunctim processuri propter multa obiecta breuia 9. 10. 12. & 15. orgijs iterum cõsidere compulsi fuimus.

Die 14. paulum progressi à meridie iterum anchoras fecimus. Eo loco cum *Prau* quædam à terra appelleret, interrogati qui eam agebant de loco, Insulam *Banckore* vocari responderunt, & alteram huic vicinam *Sabobe* & regionem illam omnem breuijs periculosam esse. Ex quibus nos ergo vt extricaremur, versus *Saboben* Insulam cursum deflexìmus, vt ibi aquam, & cætera cibaria nobis reficiendis necessaria compararemus. Rex huius loci post *Saboben* in Insula quadam *Mithare* dicta sedem habet. Hæ Insulæ ad lineæ australem partem 2. grad. sitæ sunt.

Die 16. hinc soluentes ad Insulas has rediuimus, vnde modo veneramus. A meridie cum nonnihil quieuissemus, circa horam primam porro promouimus, & circa vesperam anchoris iterum desedimus. Quo loco, qui summo malo erant, vltra 30. Insulas numerabant, quas vniuersas cinctim obiueramus, spatio milliarium 14. vel 15. & tamen ex his nos extricare non poteramus.

Die 17. mane perreximus vento austroeuro perflante: tandemq; diuino auxilio ex Insulis euasimus, per viam angustam perrumpentes, & ex latere tres paruas insulas relinquentes, ex quibus porrectissima breuia in austrum excurrebant. Hoc loco incendium alicubi ingens conspiciebatur: cui simile in aperto oceano quoque aliud à meridie comparebat. Vento tamen commodo vtebamur, & nostro iudicio à terra 4. milliaribus aberamus.

Die 18. sub diem terram quandam eminentem prouidimus.

Die 22. Eandem attigimus, ad cuius ortum cum transnauigaturi essemus, ventis refragantibus impediti nequiuimus. Decreuimus itaque cum *Ian Martß* ad eius partem septentrionalem trāsmittere; & iuxta occasum eandem collectis velis ambire.

Die 23. *Ian Martß* fundo prope subsedisset, cum vix duo cum dimidio fila superessent. Scapha tamē se inde rursus eruerunt, cum bona & sedata tēpestas esset. Tormento itaque eliso nos de eodē loco cauendo admonuit, & naue sua simul ipsemet ad nos appulit, recensens; quod 6. quidem *Prau* seu naues vidisset, cum nulla tamen colloqui potuisset. Nec quicquam, quæ illa Insula esset, aliunde comperire sibi licuisset. Nostrū tamen aliqui eam Insulam *Boeroen* putabant. Eadem nocte *Ian Martß* in fundum penitus impegerat, vt nauis anchoris inde euoluenda & eruenda esset. Ibidem de naui sua asserem seu tabulam auulsam perdebat, naue tamen alias integra adhuc & solida, nec vlla fissura diducta.

Die vigesimo quinto, *Ian Martß* nautæ in terram exscenderunt, & cum hominibus collocuti sunt, qui terram eam *Tabocke* nuncupabant. Ibi multum oryzæ, frequentes capræ gallinęque erant. Terra lata & magna erat. Nam nostra opinione secundum eam 30. fere milliaria decurreramus: cuius nedum terminos videre licebat. Via ergo, qua veneramus, nobis remeanda erat.

October. Calend. Octobr. cuilibet mensæ cantharus vini vnus porrectus est, in testimonium gaudij, quod orientalem terminum *Labockæ* Insulæ exuperassemus: ad quem plures aliæ Insulæ conspiciebantur. Illa nocte *Ian Martß* eodem loco fundo impegerat, ira, vt prora quidem nauis inniteretur, puppis vero libera nataret. E puppi itaque anchoram excutientes, ex fundo nauem auulserunt. Anchoram extracturi confractam viderunt. Frusta tamen vtraque in nauem receperunt, quod vinculis validis illa connexa hærerent.

Die 2. 3. 4. grad. 2. in lineæ austro eramus, eo ventis procellosis compulsi. Solem ibi directo in Zenith habuimus.

Die 5. *Salomon Diricks* Harlemus obijt.

Die 6. oryzæ reliquum omne insumptum est, ita, vt quod ageret coquus, iam nihil esset. Præter panem ergo aridum, & aquam, & vini cyathum, cum melle modico, nemo quicquam accipiebat.

Die 9. panis quantitas aucta est, ita, vt 5. libras 5. diebus quiuis acciperet. Hoc die asellum nouissimum absumpsimus.

Die 10. singulis mensis singulæ vini mensuræ datæ sunt, quod præter aridum panem iam comedendum nihil superesset.

Die 12. *Wouter Egberts* de *Breuuolt* tormentis præfectus est.

Die 16. cuilibet pro septem diebus panis libræ 5. cum dimidia decretæ sunt.

Die 17. *Ionckos* duas vidimus, cum ad partem Orientalem *Botton* nauigaremus. Hic altitudo 5. grad. 6. minut. erat. Meta itaque antiqua currebamus. Nam & tum temporis, cum *Amboynam* pergeremus, hanc ipsam quoque Insulam

ſulam tenueramus,ſub 5. gradu ſitam. Iuxta hanc Inſulam *Botton* tres aliæ verſus ortum magis declinantes ſitæ ſunt, à quibus multa breuia defluunt. Quare in *Amboynam* nauigaturis,eæ Inſulæ relinquendæ ſunt, & ſecundum *Botton* procurrendum. Vbi progreſſis duæ aliæ quoque Inſulæ occurrunt ſeptentrionaliores,intra quas ipſas quoque decurrendum eſt, propter breuia illa, quæ ex tribus Inſulis dictis excurrunt.

Die 20. anguſtias *Selebes* & *Soles* tranſiuimus:apud quas mediæ obuerſantur duæ Inſulæ, milliare vnum à ſe inuicem diſtantes, intra quas tranſmitti oportet. Ibi vadum eſſe apparet,quod *Prauuis* tranſnauigant.Locus hic à *Botton* 30. milliaribus diſtat, vbi in reditu multæ Inſulæ ex latere relinquendæ ſunt, quæ altitudinem grad.5.& minut.50. habent.

Die 21.altitudinem grad.5. minut. 50. in *Selebes* parte auſtrali habuimus. Terra hæc præcipuè ſecundum Aquilozephyrum & auſtroeurum portenditur. Hoc die reliquiæ omnes carnis infumatæ appoſitæ ſunt, ſingulis menſis ſingulas vini menſuras accipientibus.

Die 22. Inſulam *Selebes* tranſiuimus, quæ magna ex parte in Aquilozephyrum & auſtroeurum porrigitur, ad anguſtias longior; in cuius antica parte terra depreſſa ſita eſt, quam alia elatior & eminentior, montibus & collibus valde inæqualis excipit. Terra hæc verſus auſtrum ſub grad. 5. minut. 56. ſita eſt: ad cuius occidentalem faciem ſi 8. vel 10. milliaribus ſecundum littora procedatur, collis rotundus & concauus apparet, qui è longo, extra terram quidem illam poſitus videtur, ſed propinquius contuentibus in ipſa illa terra ſitus depræhenditur. Hinc quæ anteiacet regio, humilis & depreſſa eſt.

Die 23.per breuia quædam tranſmiſimus, quorum aqua altitudinem 6. tantum orgiarum haberet,vento incitati auſtrozephyro,ſub altitudine 5.grad. 56. minut. à terra milliarib. 18. Ibidem Inſulam ad ſeptentrionem ſitam non magnam conſpicati ſumus.

Die 24.circa meridiē nonnihil oryzę & vini cantharū vnum accepimus. Hæc prima dies fuerat ab Aug.30.qua terram nullam prouidebamus.

Die 25. ſub noctem vento aquilozephyro iterum breuia quædam tranſmiſimus,20.orgias profunda.Hic noſtro iudicio à *Selebes* occidentali latere 90. milliaribus aberamus.

Die 29.Terram quandam proſpeximus, quæ noſtra opinione *Madura* erat,vbi captiui detenti quōdam eramus. Bolide emiſſa, profunditatem 40. & 50.orgiarum habuimus.

Die vltimo, iterum ferculum ex oryza nobis præſtitum eſt. Terras quidem quoquouerſum frequentes vidimus, ſed quæ eſſent, indicio nullo comperire potuimus.

Die 2. Nouembr.longitudinem terræ *Maduræ* aſſecuti ſumus:ad cuius ſeptentrionem Inſula *Laybock* erat. Hæ à ſe inuicem interuallo milliarium 18. diſtabant.Intra has medias permeantes,nullo die terras non vidimus. *Nouember.*

Die 5. iuxta Inſulam *Carman Iaue* proceſſimus, quæ ab Inſula *Laybock*.20. circiter milliaribus abeſt:Ibi bolidem miſimus,&fila 30.35.40.45.& 50.fundi optimi tenuimus.

Die 9.aliam rurſus Inſulam præternauigauimus, quæ à *Carman Iaua* verſus aquilozephyrum 20.milliaribus abeſſe videbatur.

Die 13. ad *Iaketram* venimus, vbi pro nauibus eodem illico die oryzam pro ſedanda fame impetrauimus.Ibidem quoque vice Almirantem iam ante menſes tres ex *Banta* ſoluiſſe,comperimus.

Die 16. *Iaketra* recessimus, vt naues recenti aqua reficeremus. Eo loco *Chinenses Arecka* & oryzam sufficienti quantitate nobis attulerunt: quibus oryzæ libram vnam 5. nummis soluebamus.

Holl. Bantam veniunt.

Die 17. Hinc in *Bantam* promouimus, vbi duas *Zeelandicas* naues, Montemlongum, & Solem offendimus, quæ mensibus octo & diebus decem ad *Bantam* moratę fuerant, & sub aduētu m nostrum recentem aquam haustum alio secesserant. Hi etsi omnia permutauissent, nihilominus tamen parum lucri fecerant, cum vltra 60. onera piperis Garyophyllorumque non conquisiuissent, & ex socijs 55. perdidissent.

December.

Die 19. *Bantam* venimus, valde accepti familiariter: ita vt *Ian Martß* 5. Decembr. primam piperis quantitatem acciperet, saccis inclusam: quorum quilibet libras 50. pendebat. Saccus quilibet soluebatur, primo 4. cum dimidio, deinde 4. tantum regalibus octonorum. Macem & garyophyllos secundum *Baer* pondus, quod 500. librarum erat, mercabamur: macem quidem pro 80. garyophyllos autem pro 65. Regalib. oct.

Aromatum in Banta taxa.

Ianuarius An. 1600.

Die Ianuar. 15. An. 1600. Almirans noster cum primoribus *Bantanis* erat, & eosdem muneribus afficiebat. Cum quibus postquam de commerciorum libertate contulisset, & de omnibus conuenisset, bona ipsorum pace & venia discedens, Gubernatori ciuitatis *Bantam* scapham illam dono dedit, qua in terram egressus erat. Hæc panno rubro coccineo intecta erat. Qua tamen ipsi pari nobis cum commoditate vti non poterant.

Die 20. mercatores nostri ad naues reuocati sunt, quod merces propè omnes diuendidissent.

Die 21. mercatorum adhuc vnus cū pauco holoserico egressus est, quod breui ibi tempore vendiderat, & pro pecunia illa 20. saccos piperis mercatus fuerat.

QVÆ RATIO AVT CONDITIO CIVITATIS BANTAM SIT.

Quæ in politia Bantana peculiaria sint.



VOD politiam Bantanam attinet, ea præter aliarum gentium consuetudinem magna parte peculiaris est. Nam si quis ibi ditior & opulentior moritur, seu is liberos reliquerit aliquos seu nullos, tum Rex & vxorem viduam, & orbos liberos cum omnibus relictis facultatibus poßidet, sibique vniuersa aßcribit, & vxorem sclauam facit. Hanc aut filiam si quis Chinensium licitatur, tum eidem condicto pretio venumdatur. Qui si vna coniugaliter diutius conuixerunt, & sibi liberos procrearunt, tum persæpe eandem denuo aleam subire coguntur: comprimis autem, si rex comperiat, facultatum aliquid relictum esse. Contra quod incommodum diuitibus nullum aliud remedium paratum est, quam vt suis liberis mature de coniugibus prospiciant,

ciant, vt hoc pacto relictorum à parentibus bonorum hæredes succedere poßint. Vnde fit, vt persæpe nedum duodecim annos nati in matrimonium abstrudantur. Et quod maioris admirationis est, tot annorum puer frequenter duabus ternisue vxoribus coniugatus est, prout parentes eius facultatibus magis minusue pollent. Quæ omnia eum in finem ita fiunt, vt sua bona regi eripere, & hæredibus legitimis impendere poßint.

Commercia & negotiationes quod spectat, valde fraudulenti & furtiui sunt tam Chinēses, *quam* Iauani, *ita vt & ponderi improbo frequenter studeant, & piper lapillis aut arenis adulterent, quò id ponderosius & maioris pretij faciant. Tum etiam in verbis impostorij, insidiosi & inconstantes: vt & in factis crudeles ferique sunt. Nam si quandoque accidat, vt per mutuas altercationes alter alterum occidat, & obtruncet, tum is porro hominum viuorum nulli parcit: verum, cum sibi vicißim certo moriendum præsciat, primis furijs insistens confodit & perimit, quicquid vsquam obuium est, nec cuiusquam respectum habet, seu vir, seu mulier, seu infans etiam materno vtero adhuc abditus sit: dum tandem populi confertim irruentis frequentia edomitus vinculis stringatur & coerceatur. Captus, illico ad Gubernatorem ciuitatis abripitur, vbi causa audita, & de hac iudicio breui habito ad mortem condemnatur. In condemnati ergo pectus illico* Cris *seu pugio ad capulum vsque imprimitur, vt exanimis in terram prouoluatur. Quanquam raro eueniat, vt viuus capiatur quispiam. Nam eousque latrocinando fere desæuiunt, dum violenta cæde à populo vicißim obtruncentur.*

Quales Batani in contractibus.

In factis crudeles.

Die 21. *Banta* soluimus redituri in Hollandiam. A meridie vero propter continuam pellaciam considere coacti sumus, circa vesperam vento leui oborto pronauigantes.

Die 26. dispensatio aquæ occepta est seu potus, ita, vt singuli indies aquæ cyathos 6. vini seu *Arack*, 3. acciperent: quo tempore ex *Iauanis* Insulis nondum omnino excesseramus.

Die 28. altitudo graduum 8. erat. Sub vesperam ventus spirabat occidentalis.

Die 3. Febr. ventum nacti austrozephyrum, huius oppositum consectati sumus. *Februarius.*

Die 4. altitudinem 10. graduũ tenuimus, nec porrò nisi ad austroeurum contendere poteramus, vento scilicet placido ex occasu perflante.

Die 12. chirurgorum primarius, Christophorus obijt.

Die 14. solem verticalem habuimus sub gradu 13. min. 12.

Die 16. Thesserarius *Ian Pieters*, natione Anglus, in naui *Ian Martß* obijt.

Die 26. altitudo 19. grad. erat, cum vento placido & nobis commodo. Cursum ergo versus Zephyroaustrum direximus.

Die 27. in nauem Amsterdam volatilis auis illapsa captaque est.

Martius. Die 3. Martij altitudinem 23. grad. & 50. minut. tenentes, vento optato promouimus.

Die 16. altitudo 35. grad. erat. Hinc ergo in aquilozephyrum pertendimus.

Die 18. plerique officiarij à primo vsque ad decimum sextum, cum excubiarum tempus effluxisset, quilibet cyathum vnum *Aracka* mandato Almirãtis accepit. Hoc loco vento Aquilonio flante, altius conscendere quam ad Zephyroaquilonem non poteramus.

Die 19. nautæ vulgares & ipsi conati sunt cyathum vnum *Aracka* finita nocte impetrare, sicut antea officiarijs contigerat. Quod tamen illis negatum est. Potestas illis tamen data, vt cyathum vno pauciorem de die captantes, sub noctem pro suo arbitrio eundem postularent.

Sic ergo deinceps officiarij cæteri 4. hi vero tres tantum pro vno prandio vel cœna accipiebant.

Die 22. vento commodo austroeuro flante, versus aquilozephyrum feliciter contendimus.

Die 23. *Ian Iacobß* de *Medenblick* in naui Amsterdam obijt.

Die 26. Tempestas grauior cum aquilozephyro increbuit.

Die 29. Ex septentrione ventus iterum secundus se nobis obtulit, vt nauigatio probè succederet. A meridie & diebus sequentibus tam dubius & inconstans ventus flauit, vt magis ambiguus ne in nostris quidem terris esse potuerit. Pro sententia ergo nauigantium à *Cabo de bona esperança* versus ortum ad 200. milliaria aberamus.

Aprilis. Calend. April. tempestas ex occasu ingruit.

Die 2. Festum paschatos celebrauimus, ouorum loco fabas minusculas & pisces siccatos cum mensura vini Hispanici vice *Aracka* singulis mensis capientibus.

Die 3. vietor in *Ian Martß* naue, *Ian Ianß* de *Osnabrug* obijt.

Die 6. ex aquiloeuro ventus nobis aspirabat optatus, qui tamen diu non continuabat. Eo enim loco venti valdè inconstantes esse solent.

Die 13. terram de *Cabo* versum eurum è milliaribus propè 70. prouidimus sub altitudine $34\frac{1}{2}$. grad. velificantes. Vbi tum bolidem mittentes fila 80. notauimus, cum tamen nos à terra milliaribus 5. abesse arbitraremur. Vento itaque Zephyroaustro perflante à terra longius digressis, tempestas aduersa oblata est.

Die 17. nautę rationem inibant, *Cabo de bona esperança* 68. milliaribus à nobis distare.

Die decimo nono, ex occidente iterum orta tempestate concussi sumus.

Die 22. altitudo 37. grad. 40. minut. fuit. Cursum nostrum ad transmittendum *Cabo* direximus.

Die 24. Terram propinquam vidimus: à qua tamen recedentes, vltra austrozephyrum promouere non potuimus.

Die

Die 25. ventus commodus ex austro spirare cæpit primo, deinde ex ortu & meridie medio: tandem ex ipso ortu.

Die 27. Altitudinem 34. grad. 40. minut. tenuimus ad *Cabo* latus occidentale, à quo nautarum supputatione 16. ferè milliaribus aberamus, vento priore adhuc perflante.

Cal. Maij ex austro commodum iterum ventum adepti, altitudinem 32. grad. tenuimus. *Maius.*

Die 9. altitudo 22. grad. 5. minut. erat: vbi multas *Trombas* fluctuare vidimus, quas circa *Cabo* apparere sueuisse commemorant. ventus erat aquilozephyrus.

Die 16. Insula *S. Helenæ* nobis sub meridiem conspecta est: de qua visa confertim omnes gaudio perfusi fuimus.

Die 17. infra terram manè nauem quandam conspicati sumus, quæ classis Lusitanicæ prætoria erat. Hæc in stationem *S. Helenæ* festinabat, qua tres quoque aliæ naues iam consederant: ita, vt nos portum antiquum tenere cogeremur, quæ vallis primæ est, ad angulum aquilozephyrum adiri solitæ. Ab illis ergo nauibus tanto interuallo distabamus, quantum emissa sclopeto glande teneri potest: ad quas colloquij causa viros quatuor emisimus. Qui quid expediuerint, mihi compertum non est. Hac ipsa vespera nauis alia quoque appellebat, iuxta nos quam proximè considens, ita, vt mutuo colloqui facile possemus. Hi qui essemus rogantes, cum nos Hollandos cognouissent, qui ibi refectum nos moraremur, loco se iterum emouerunt, & versus aquilozephyrum in penitiorem oceanum à terra procurrerunt.

Die 18. Quatuor è nostris viri in *S. Helenæ* Insulam egressi sumus, quam altis montibus præruptam, & subiectis crebris vallibus conspicuam, eamq; frequentibus feris, vt damis, apris & similibus confertam vidimus. Ibi quoque aquæ inuasandæ spem cæperamus: sed eandem breui irritam amisimus. Nam qui in nauibus cæteris appulerant, terram & eius accessum dispositis excubijs seruabant, vt nobis aditus non pateret. Quare hauriendæ aquæ fiducia nobis valde tenuis erat.

Die 21. ipso pentecostes die inde iterum soluimus, summo reuidendæ patriæ desiderio. Cum vix portu excessissemus, eundem alia illico quoque nauis incurrerat, quæ iam in statione sexta erat. Cursum ergo nostrum intra occasum & septentrionem impellebamus. Cæterum ipsam *S. Helenæ* Insulam quod attinet, terra sane fertilis & salubris est: ad quam piscium multitudo ad miraculum vsque frequens captari facile potest, qui plerique *Makarellen* sunt, aut minores, alij pisces forma prasemorum: vbi & aliud genus est, corpore æque lato & panso.

Die 25. Altitudo 13. grad. erat. Ventus spirabat Aquiloeurus, sed non diutinus, verum breui Austroeurus fiebat, qualis fere perpetuo durabat, postquam *Cabo* transmisissemus.

Die 30. manè Ascensionis Insulam vidimus versus austrum à linea grad. 8. sitam, sub qua vesperi anchoras fecimus. Sub noctem quosdam in terram exposueramus, qui eam lustrarent. Postero die ad illam quaquauersum peruadendam rursus alios emisimus. Sed ibi pro nauibus nulla aqua erat. Insula hæc scopulis plenissima est, quorũ aspectus carbones fabrorum exustos referebat. In eadem apros quosdam conspeximus, magna admiratione. Nam vnde victitarent, colligere nulla ratione valebamus, cum ibi nec arbores, nec herbarum quicquam aut graminum emergeret.

Ibidem plurimæ quoque aues, Lari dictæ, conspectabantur, quas fustibus cædebamus.

Ibi populo omnia libera & propria dabantur, quæcunque captarent. Testudinum quoque illic copia erat, quarum quatuor nauibus intulimus, adeo grandes, vt vna 400. libras pendere existimaretur. Nec piscium ibi penuria erat.

Vltimo Maij, ex *Ascensione* soluentes, porrò in patriam contendimus vento bono Austroeuro perflante: vbi cursum nostrum versus aquilozephyrum direximus.

Postremò tandem, post infinitos labores & pericula; ex annonæ potissimum defectu profecta, binæ hæ naues in *Texelia*, & hinc porrò, postquam exoneratæ essent nonnihil, in Amstelredamo feliciter appulerunt, ingenti sanè illorum gaudio, quorum eas saluas venire intererat. Sic ergo vniuersæ illæ octo naues, quæ Calend. Martij Ann. 1598. simul expeditæ in Indiam Orientalem procurrerunt, magno patriæ commodo & emolumento saluæ & felices reductæ sunt. Pro quarum salute, & ex tot vndiquaque ingruentibus periculis euasione, Deo æterno æternæ gratiæ & laudes assertæ.

Nouissimæ 2. naues domũ redeunt.

DECLA-



DECLARATIO ET EXPLICATIO VOCABVLORVM QVORVNDAM MALAYCORVM, QVAE LINGVA VNIuersæ Indiæ Orientali vsitatior est, non secus ac apud nos Gallica. Quam qui callent, vbiuis fere versari commode queunt. Lusitanicæ quoque linguæ peritia ibi valde commoda est, cum interpretes vbiuis Lusitanicam callentes reperiantur.

A.

Alforees,	*Terebra.*
Addollaley,	*Frater.*
Arys,	*Dies.*
Aly,	*Illic.*
Ayam,	*Gallina.*
Ada,	*Habeo.*
Arynga,	*Lumen.*
Ambel,	*Accipe.*
Addeparapas,	*Soror.*
Apon,	*Calceus.*
Anton,	*Dentes.*
Ampo,	*Venenare.*
Apy	*Ignis.*
Alys,	*Palpebræ.*
Abbacatta,	*Quid dicitis.*
Assa,	*Tamarindi.*
Alia.	*Zinziber.*

B.

Backeyen,	*Brachium.*
Backy,	*Pes.*
Blouvvaer.	*Foris.*
Bevvangdarner,	*Sanguinem mittere.*
Bilby,	*Emere.*
Benue,	*Occidere.*
Balmarys daula,	*Pridiè.*
Bebe,	*Anas.*
Bengo,	*Macis.*
Botonuum,	*Inuentum.*
Balmary,	*Heri.*
Berny,	*Dare.*
Batta,	*Later coctus.*
Basaer,	*Magnus.*
Bedyl,	*Bombarda.*
Bayck,	*Bonum seu merx.*
Baesart.	*Magnus.*
Barapa,	*Quot, quàm multum.*
Bygimana,	*Quid agitur.*
Bauuin,	*Cadere.*
Barappe itu,	*Quanti hoc.*
Bacabaren,	*Iam.*
Beeff,	*Adestne.*
Buda,	*Infans.*
Bariing,	*Ponere.*
Bretoun,	*Facere.*
Bantel,	*Puluinar.*
Banges,	*Surgere.*
Backelay,	*Bellare.*
Bras,	*Oryza.*
Balacca,	*Dorsum.*
Baon,	*Humeri.*
Brat,	*Graue.*
Bantaren,	*Mori.*
Byte secata,	*AEgrotus sum.*
Batu,	*Lapis.*
Baccalayo,	*Pugillare.*
Baccar,	*Adurere.*
Betangia,	*Interrogare.*
Banghe.	*Multum.*
Beta babpa.	*Pater meus.*
Borron.	*Auis.*
Bange.	*Multum.*

C.

Combaly,	*Referte.*
Carboo.	*Bubalus.*
Camby,	*Hircus.*
Caruguanler,	*Misericors.*
Chyny,	*Soluere.*
Citghel,	*Paruus.*
Caiumains,	*Cinnamomum.*
Capyer,	*Calx.*
Chynta,	*Mœstus.*
Capelle,	*Caput.*
Cayo,	*Pileus.*
Catsion,	*Puer.*
Calappen,	*Nuces.*
Cadda,	*Sacerdos.*
Cargha,	*Elephantus.*
Calamp,	*Pennæ.*
Cartas,	*Papyrus.*
Chiinsim,	*Annulus.*
Corni,	*Sacci.*

Calue-

Caluenetten,	*Acicula.*
Cras.	*Fortis.*
Capal,	*Nauis.*
Cemoeda,	*Proxeneta.*
Cheehoo,	*Pigritia.*
Caiu Lacca,	*Cera Hispanica.*
D.	
Darna,	*Sanguis.*
Dirimguo,	*Calamus arom.*
Dyngyn,	*Aroma.*
Dalan,	*Est.*
Damare,	*Eligere.*
Dusta,	*Porrigere.*
Doduer,	*Attendite.*
Dyem,	*Silere.*
Dya,	*Ipsa.*
Domba,	*Ouis.*
Dymana,	*Merx.*
Dep.	*Nos.*
E.	
Engat,	*Memento.*
Esteedat,	*Consuetudo.*
Eyer,	*Aqua.*
F.	
Fetor,	*Mercator.*
Facca lata miera.	*Pannus coccineus ru-* (*ber.*
G.	
Gatto dalgalia,	*Catus ciueticus.*
Goulon,	*Collum.*
Ganga,	*Omitte.*
Gyla,	*Propè.*
Goethieng.	*Chirurgus.*
Goeda.	*Faber ferrarius.*
Garram,	*Sal.*
Goumo,	*Pes.*
Garro,	*Lignum aloes.*
H.	
Horra,	*Cancri genus.*
Hanghee.	*Canis.*
I.	
Itouuen,	*Hi.*
Ise,	*Viridis.*
Iagaua,	*Viuere.*
Iamgemast,	*Relinque.*
Ionmahet,	*Dies Solis.*
Ita,	*Gladius.*
Ilat,	*Lingua.*
Iorbissa,	*Interpres.*
Iean,	*Piscis.*
Iouvval,	*Vendere.*
Ilan,	*Perdere.*
Iarylary,	*Digiti.*
Iacca,	*Pepones longi.*
K.	
Kareya,	*Laborare.*
Kytab,	*Libri.*
Kokodang,	*Pileus.*
Kiunal,	*Nescere.*
Kytchyl,	*Paruus.*
Koko,	*Garyophyllus.*
L.	
Lora,	*Vitrum.*
Lambyder,	*Labra.*
Lepas,	*Liberum dimittere.*
Lada,	*Piper.*
Lampa,	*Obliuisci.*
Lalyer,	*Caro.*
Lande,	*Vrceus aquaticus.*
Lalau,	*Cedite.*
Lancuas,	*Galanga.*
Lauo,	*Vespertilio.*
M.	
Maree.	*Venite.*
Mattu,	*Mors.*
Makan,	*Edere.*
Minta,	*Poscite.*
Mary,	*Ire volumus.*
Mas.	*Aurum.*
Manyte,	*Ego.*
Mangsy,	*Atramentum.*
Monda,	*Iuuenis.*
Malam,	*Nox.*
Martyc,	*Oculi.*
Mana,	*Patruelis.*
Malon,	*Pudere.*
Manys,	*Dulcis.*
Matary,	*Sal.*
Maety looty,	*Amicus.*
Menang,	*Lucrari.*
Manaaten,	*Vbi est.*
N.	
Nasse,	*Tunica.*
Negry,	*Mos.*
Naroen,	*Acus.*
Nuagia,	*Oleum.*
Negle,	*Chalybs.*
Nay moeda,	*Libellus.*

Nan-

Nanthy,	*Expectate.*

O.

Ocby,	*Puluis pyrius.*
Ober bedyl,	*Herba.*
Orang,	*Vir.*

P.

Pang,	*Præcidere.*
Perot,	*Inteſtina.*
Penot,	*Venter.*
Parma,	*Melior.*
Pegy,	*Ite.*
Pakanera,	*Vos.*
Palita,	*Lampas.*
Pieſon,	*Culter.*
Palla,	*Nux muſcata.*
Paſſai,	*Surgere.*
Peca,	*Argentum.*
Pyemig,	*Patinæ.*
Padang,	*Gladius.*
Pockul,	*Verber.*
Prau,	*Scapha.*
Paca ſuyra,	*Euacuatum eſt.*
Pondarra,	*Amicitia.*
Pagy,	*Manè.*
Paran poan,	*Fœmina.*
Penas,	*Calidum.*
Padyni,	*Ex hoc.*
Pynanga,	*Arecca.*

Q.

Queay,	*Dominus.*
Quitabota,	*Nobis.*

R.

Ramboiet,	*Crinis.*
Rutgee,	*Rex.*

S.

Samoanga,	*Vniuerſim.*
Sana,	*Hic.*
Sarſy,	*Pecunia.*
Sone,	*Sinere.*
Sombo bedyl,	*Capſa ſclopeti.*
Sincke,	*Claui.*
Saby,	*Bos.*
Sempa,	*Iurare.*
Sabyt,	*Æger.*
Sarmi,	*Speculum.*
Salvvacke,	*Clypeus.*
Salacha,	*Argentum.*
Saiani,	*Semen ſinapis.*
Soeda,	*Multum eſt.*
Saby,	*Sus.*
Selykit,	*Parum.*
Saya,	*Væ.*
Souſa,	*Euge.*

T.

Tyngal,	*Vale.*
Tganga,	*Barba.*
Tambagle,	*Cuprum.*
Terymacache,	*Habe gratiam.*
Tſuyka,	*Mandatum*
Teloor,	*Oua.*
Tieda Bayck,	*Non bonum.*
Tabea,	*Bona dies.*
Tach ghy,	*Diſcedite.*
Toulong,	*Iuuare.*
Tanga,	*Manus.*
Tage,	*Cuſtodi ſedulo.*
Tauvva,	*Annus.*
Tyeda tau,	*Non intelligo.*
Tyeda mau,	*Non cupio.*
Tied ada,	*Non habeo.*
Tarrima Caſſe,	*Gratiā vobis habeo.*
Tyma,	*Plumbum,*
Tieda,	*Nere.*
Talynga,	*Aures.*
Tua,	*Vetus.*
Tehylacca,	*Stipendium.*
Tomba,	*Haſta.*
Taly,	*Funis.*
Tacat,	*Fructus.*
Tauen,	*Intelligere.*

Y.

Yſouck,	*Mane.*
Yrot don,	*Humidum.*

Vocabula quædam Iauanica.

Syhang,	*Piper.*
Maſſa,	*Macis.*
Palla,	*Nuces muſcatæ.*
Syancke,	*Garyophylli.*
Eyer, Baya,	*Aqua.*

Sa-

Salorcka,	*Argentum.*	Pytíyl,	*Sclopetum.*
Serpy,	*Regalis octonorũ, seu Regalis Hispan. 20. batz.*	Mackan,	*Cibus.*
Iuack,	*Piscis.*	Cartaes,	*Papyrus.*
Cryssen,	*Pugiones.*	Arac,	*Vinum.*
Capella,	*Nauis.*	Sieleng,	*Sus.*
Courang,	*Minimum est.*	Alomba,	*Bos.*
Bedyl Besar,	*Maius tormentum.*	Vrangy,	*Christiani.*
		Oranleya,	*Peregrini.*

Moluccani numeri.

Satu,	*Vnum.*	En pat balas,	*Quatuordecim.*
Dua,	*Duo.*	Lyma balas,	*Quindecim.*
Tyga,	*Tria.*	Nam balas,	*Sedecim.*
En pat,	*Quatuor.*	Toufiou balas,	*Septendecim.*
Lyma,	*Quinque.*	De lappan balas,	*Octodecim.*
Nam,	*Sex.*	Sambalã balas,	*Nouendecim.*
Tou fiou,	*Septem.*	Dua pola,	*Viginti.*
De lappan,	*Octo.*	Dua pola satu,	*Viginti vnum.*
Sambalan,	*Nouem.*	Dua pola dua,	*Viginti duo.*
Sapolo,	*Decem.*	Dua pola tyga,	*Viginti tria.*
Sabalas,	*Vndecim.*	Dua pola en pat,	*Viginti quatuor.*
Dua balas,	*Duodecim.*	Dua pola lyma,	*Viginti quinque. &c.*
Tyga balas,	*Tredecim.*		

Finis descriptionis huius.





ICONES ARTIFICIOSÆ, VERÆ ET ACCVRATÆ, PRÆCIPVARVM INSVLARVM, CIVITATVM, FLVVIORVM, POPVLORVM, ET RERVM

cæterarum, in nauigatione ab Hollandis visarum, obseruatarum, gestarumque: Cum delineatione necessaria peregrinarum nauium, auium, & barbarorum quorundam rituum.

SINGVLIS JCONIBVS SVA SEORSIM explicatio & interpretatio subdita est, vt lectoris ita captui consuleretur.

QVÆ OMNIA SEDVLA INDVSTRIA ET DILIGENTIA accurata in æs incisa & edita sunt.

à

IOHANNE THEODORICO ET IOHANNE ISRAELE DE BRY fratribus.





FRANCOFVRTI,
JMPRIMEBAT MATTHÆVS BECKER.
ANNO
M. DCI.



I.

DELINEATIO INSVLAE DO CERNE, ALIAS MAVRITIVS DICTÆ.



NSVLA *ab Hollandis Mauritius, alias Do Cerne dicta, literis* ABC. *hoc modo designatur.* A. *Insulæ aditus.* B. *Arbores palmarum sylvestrium, ab Hollandis ibi satæ, pro nauibus deinceps illis appulsuris.* C. *Asterisci hi omnes breuia, sub vndis latentia, designant.* D. *Parua Insula est, ex qua nuces Indicas attulerunt.* E. *Riui salsi sunt, ad quos piscatus gratia nostri excurrerunt, vbi vim piscium tantam vno iactu captarunt, vt retis rupturi periculum esset: quod sine accitæ alterius scaphæ opera collata ex vnda nunquam extrahere potuissent. In ista piscium multitudine 50. intererant, quos propter latitudinem immensam tabulas mensarias vocitabant. Locus hic adeò piscosus erat, vt in littore & manibus caperentur, & hastis confoderentur.* F. *Riuus hic dulcis aquæ est, ex qua pro necessarÿs vsibus potum hauriebant. Ibidem Raia piscis captus est, qui cauda dempta, 4. vlnas habebat, qui vix magno labore scaphæ inferri potuit.* G. *Sinum hunc circummeans Almirans, varia semina, pisa, fabas &c. ibi seri curauit, vt eorum, qui post nos istuc aliquando adituri essent, vsibus cederent.* H. *Omnes pusillæ Insulæ sunt, in quas mare impingit, & æstuatione facta persæpè testudines excutit.*

II.
QVAE AB HOLLANDIS IN INSVLA MAVRITII TVM VISA TVM gesta sint.



1. TESTVDINES *grandiores ſunt in ſola terra degere ſolitæ, quod natare in vndis nequeant. Hæ cancrorum, quos peculiari arte ingenioque interdum pedis magnitudinem æquantes captare norunt, venatu viuunt. 2. Auis eſt, Hollandis* Walckvogel *dicta, cygni magnitudine, capite craſſo: quæ alarum loco tres quatuorue ſaltem pennas enatas geſtat. Corpus eius rotundum, fereque globoſum eſt. Cauda caret, cuius loco quatuor pennæ criſpæ conſpiciuntur. Hæ ab Hollandis coctæ, eſui nonnihil inſuaues occurrebant. 3. Palma eſt, tam grandibus folijs, vt vnum illorum viro contra pluuias tegendo ſufficiat. Arbor ſi perterebretur, & in foramen tubulus ſeu canna immittatur, copioſum vinum ex illa profunditur, quod guſtatum Hiſpanico ſimile eſt. Sed vltra binos dies aſſeruatum, aceſcit. Id Hollandi vinum palmeum nuncuparant. 4. Auis eſt Rabos Forcados dicta, cuius cauda forficis ſimilitudinem habet. Colore nigro eſt, pectore ſubalbicante, roſtro promiſſo, piſcium captu victitans. Harum auium à nobis captarum, & pro cibo mactatarum inteſtina, cum è nauibus in mare eijcerentur, ſociæ earum aduolitantes præhenſa illa deuorarunt. 5. Coruus Indicus eſt, duplo maior pſittaco, tribus coloribus variatus. 6. Arbor ſylueſtris eſt, in qua pro rei memoria Hollandiæ, Zeelandiæ & Amſtelredami inſignia defixa ſunt. 7. Arbor palmites dicta eſt, cuius fragmentum ſeu portionem, litera. A. deſignatam, exciſam contra ſcorbutum valdè ſalutarem & commodam depræhenderunt. 8. Veſpertilio eſt, caput cercopitheci æmulum habens, qua aues, quoties à volatu quieſcere volunt, tum magno ſe numero ex arbore quadam ſuſpendunt, eo modo, quo in delineatione videre eſt. 9. Fabrica ferrea eſt. 10. Tentoria ſunt, ex frondibus & folijs cõtecta, nocturnæ quieti captandæ extructa. 11. Locus concionũ habendarum, quarum binas, vnã antemeridianam, alteram pomeridianam celebrauerunt. 12. Hoc loco vno iactu ſeu tractu tonnas piſcium binas cum dimidia cæperunt.*



III.

DECVRSIONES LVDICRAE, SEV LVDI TROIANI, QVO MODO A Tubanis celebrentur.



CVM Hollandi 23. Ianuar. Ann. 1599. ſcaphis aliquot in Tubam egreſſi eſſent, omnes plateas incolis confertas viderunt: quorum quilibet inſigniter & eleganter ornatus armatusq; erat. Inter hos multi quoque nobiles, equis inſidentes diſcurſabant, qui ſub veſperam in foro confluentes, Hollandorum in gratiam decurſiones equeſtres inſtituerũt, vt, quam induſtriè equos ſuos regere & moderari poſſent, illis ſpectandum exhiberent: ſicut fuſius in hiſtoria hæc percenſita ſunt.

IV.

DESCRIPTIO INSVLAE MADVRÆ, ET QVID HOLLANDIS IBI accideri.



HOLLANDI, *cum iuxta Insulam Maduram, à Iaua maiore non longius distantem, apud ciuitatem quãdam Arosbay dictam anchoris desedissent: scapham grandem cũ aliquammultis socijs in terram emiserunt, qui cum incolis amicè & familiariter tractarent. Hi tamen, quamprimum in terram egressi sunt, vniuersi captiui detenti sunt. Quare Almiranti nunciata, cum eos de pacto pretio aliquo vinculis liberare vellet: Rex loci tam iniquum & insolens lytrum eos postulauit, vt vi & dolis eos commodius liberari posse arbitrarentur. Cum ergò instructis scaphis aliquot ad hoc confectum dandum contra incolas pergerent, velitatiuncula aliquali commissa, re infecta discedere compulsi sunt, vel ob hoc maximè, quod tempestas aduersa oborta scaphis iã aliquod periculum minitaretur. Itaq; retrò ad naues conuersis, ventis & fluctibus duæ scaphæ euersæ sunt, ex quibus 25. viri tum suffocati, tum à Barbaris obtruncati sunt: Cæteris qui enauerant, intercessione cuiusdam Regnars Tubani seruatis & captiuis factis.*

V.

INSVLAE AMBOYNAE SITVS ET CONDITIO.



INSVLÆ *facies ex tabula patet. Ad quam cum Hollandi appulissent, de Amboyna Almirans Thalassicus, tribus nauibus,* Karkollis *dictis, probè armatis & instructis, in occursum ipsis processit, & qua gratia aduenirent, rogauit. Quod ab Hollandis cum resciuisset, cum tormentorum fragore, quasi ipsis gratularetur, iterum discessit. Incolarum verò Amboynæ descriptio Alphabetica hæc est.* A. *Colonus loci est, cultrum latum manu gerens, quo operas suas in syluis conficit.* B. *Ciuis est, hastam vlnarum aliquot longitudine ferens, qua expeditissimus in iaculando est.* C. *Fæmina est, ad forum contendens, fructus venales manu sursum porrecta gestans.* D. *Almirans est, ministris suis comitatus: quorum vnus Tiresol seu vmbraculum ei prætendit. Vestitus est tunica lata manticulata, quam plerunque in humeros reiectat: & insuper caligis sericis, Lusitanica forma sartis & paratis.* E. *Triremes sunt,* Karkollæ *dictæ, quibus cursum pernicem faciunt; contuitu miræ & insolentes.*

VI.
BANDAE INSVLAE DESIGNATIO.



BANDA, in tres alias Inſulas diuiſa, ex myriſticas & garyophyllos ferentibus Moluccanis omnibus præſtantiſſima eſt. Sex vel ſeptem oppidis celebris eſt, quorum Nera primaria eſt, crebris negotiationibus valdè clara. In hac Hollandi domum mercatoriam ad negotiationis maiorem commoditatem impetrarant. Oppida hæc inter ſeſe maximis diſcordijs flagrant mutuo, ita vt crebris excurſionibus bellicis ſe proterant & conficiant. Cuius deductio longior in hiſtoria patet.

VII.

A NERAE INCOLIS QVOMODO HOLLANDI EXCEPTI SINT.



VICE Almirans Hollandicus cum in Neram appulisset, à Gubernatore loci solenniter & humaniter exceptus, & sub arborum vmbram iucundioris colloquij causa abductus est. A. Terræ Gubernator, vir senex. B. Regis Ternates frater. C. Hollandicus vice Almirans, cui à tergo interpres astat, qui Gubernatoris ei verba reddit. D. Loci nobiles sunt. E. Maris Almirans est, cum ministris suis secus tentorium stans. F. Domus gubernatoris est. G. Loci populus est, colloquentibus circumfusus, ad ea, quæ aguntur, audienda considens. H. Hollandi sunt, qui nonnumquam tubas, Indorum magno gaudio, inflant.



VIII.

BANTÆ INHABITATORES, QVOMODO AD RES SERIAS ET MAGNAS tractandas conueniant.



BANTANI perſæpè magna concilia cogunt, ad res varias in hoſtium ſuorum detrimentum deliberandas. Nam, vt dictum eſt, Banta priuatim in tres alias Inſulas dirempta eſt, 6. vel 7. oppidis ſeu vrbibus inſignes, quæ perpetuis odiis inuicem flagrant. Nam oppida hæc Labbetacka, Combeer, & VVayer, contra Neram confœderata ſunt. Neram viciſsim Lontoor cum aliis duabus Inſulis Polleruyno & Poel VVay adiuuat. Quoties ergo Nerani contra Labbetackam quid moliuntur, tum auxiliarij omnes cum ſuis nauibus apud Meram conueniunt. Vbi, ſi deliberatione habita contra hoſtes ſuos expeditionem ſeu excurſum decreuerunt, tum in viis aut vicis publicis iunctim conſidentibus epulum apparatur, & diſci loco cuiuis folij Bonanas fragmentum porrigitur. In hoc panes ſuos, Saggo dictos deponunt. Porrò autem ſingulis peculiaris patella foliacea, oryza cum carnis iuſculo cocta, plena proponitur, quam cùm tanta exultatione comedunt, vt cerebrum Iouis guſtare videantur. In edendo tamen valdè agreſtes ſe præbent. Nam integros oryzæ manipulos arripiunt, & ori iniiciunt. His ita ſedendo coëpulantibus, nobiles armati aliquot proſiliunt, & variè ſe motando & ſaliendo miros pugillatus edunt, qui ad iſtiuſmodi ludicra obeunda impulſis tympanis & peluibus excitari ſolent. Binis primis defatigatis, duo recentes alij ſubinde ſuccedunt, & has ſucceſsiones continuant, dum conuiuij clauſula ſit.

IX.

DOMVS NEGOTIATIONIBVS AVT COMMERCIIS HOLLANDORVM agitandis attributa.



DOMO mercatoria Hollandis indulta, merces ſuas expoſuerunt, & lancem cum ponderibus à Sabandro acceperunt. Pondus autem illud Bantani Kalti nominant, quod ponderis noſtri libras quinque cum parte quarta continet. Hic incolæ ſuas merces ponderabant, & cum aliis Hollandorum mercibus permutabant. Appictus eſt hic quoque ſclauus in Banda, quo is geſtu aut habitu cum fructibus & vino palmeo ex ſyluis veniat. Fæmina vero litera B. deſignata, operaria eſt, in forum ferendis pro mercede fructibus & rebus aliis portandis deſtinata ſeu conducta.

X.
BANTANORVM QVORVN-
DAM EFFIGIES.



Dum in Banta essent Hollandi, familiariter comprimis vsi sunt Turca quodam opulento, qui humilis staturæ & eius formæ erat, qua hic appictus visitur. Litera A. est. Ab hoc Turca, Goytyen dicto, Hollandi multas merces mercabantur, qui se in omnibus benignum & humanum illis præbebat. B. nobilis est, per plateã cum pedissequo armato ambulans, vt respectus apud prætereuntes maioris sit. C. Fœmina est, eo habitu in publi- prodiens, sclaua sua stipata, quæ pileum arcendo soli commodum pro domina gestat.

76

XI.

QVOMODO BANTANI PILAM MITTERE AVT AGITARE soleant.



PILA lusuri Bantani, in orbem se disponunt: in quorum omnium medio alius solus consistit. Hic pilam in sublime mittit: quæ decidua ab eo proijcitur iterum, apud quem proximè delapsa est. Denuo delapsa rursus ab alio proximo in alium impellitur, vt hæc missitatio ad omnes pertineat. Quam omnem tamen solis pedibus, absque omni manuum auxilio conficiunt. Quod si quis forsan in impellenda pedibus pila aberret, hic publico risu & dıludio sibilatur. Nonnulli subsilientes, quidam in orbem mira agilitate se rotantes, nihilominus tamen aduolitantem pilam industriè excipiunt mittuntque: ita, vt hoc ludo apprimè delectentur. Pilæ verò leues sunt, ex scirpis contextæ & intortæ, Sphæræ rotunditatem formamque habentes. Hic simul appicti sunt Bantani, quo habitu, quibus armis contra hostes suos pugnaturi egrediantur, altera manu scutum, altera hastulam, in qua mittenda valdè expediti & industrij sunt, gerentes. Hasta excussa, gladiis rem aggrediuntur, quos padang vocant. His feriunt post scuta latentes, persæpè miseram stragem illis excutiendis edentes.

XII.

QVO PACTO HOLLANDI A REGIS TERNATES KARKOLLIS CINcti seu circumdati fuerint.



CONDITIO *Insulæ Ternates, ad quam Hollandi* 22. *Maij An*. 99. *appulerunt, hæc est*. A. *Insula Tidore est, Lusitanorum dominio subiecta, qui Ternatarum capitales hostes sunt*. B. *Insula desolata, intra Ternatem & Tidorem sita*. C. *Riuus aquæ dulcis est, vnde suis necessitatibus potum hauserunt*. D. *Regia Karkolla, ornatissimè exculta, minoribus* 32. *nauibus comitata, cum tanto clamore, strepituque & tympanorum sonitu aggressa, vt nobis vniuersis terrori fuerit. Mancipia autem, in circuitu quodam, extra naues constructo consident, remos impellentes. Remi eorum sunt excauatæ spathulæ ligneæ, quas expedita agilitate circa caput rotare possunt, ita, vt aqua ex latere defluat. Cum diu isto processu naues nostras obeundo perlustrassent, postea ad terram reuersi sunt, & naues suas in littore ex ordine iunxerunt & disposuerunt, ceu in delineatione videre licet.*

XIII. DESCRIPTIO CIVITATIS GAMMÆ LAMMÆ.



IVITAS dicta in Ternate Insula sita est. In illa Hollandi sua quoque commercia agitauerunt. Domus eorum ex crassa arundine confecta aut fissa, intortæ sunt. A. Hollandorum binæ naues sunt. B. Karkolla est, exploratum ad illos veniens, qualesnam homines essent, qua mente appellerent. Quo cognito gaudere visi sunt. C. Karkolla bellica est. D. Palus in vnda erectus, ex quo caput hostis propendebat. E. Forum, propter solis vehementiam sub arbore agi solitum. F. Musquita seu templum. G. Palatium Regis, ex lapidibus structum. H. Ædicula, in qua tormentum positum est, quod capitaneus Franciscus Draco quondam valida tempestate concussus in mare exturbauerat. Hoc deinde à Barbaris extractum, eo collocatum est. I. Domus est, à Rege Hollandis illis, qui remanserunt, data & concessa. K. Domus est Hollandorum mercatoria. L. M. Cœnobium S. Pauli, ex lapidibus olim extructum à Lusitanis. N. Interpretis regij domus. O. Turris est, tormenta munita. P. Insula intra Ternatem & Tidorem sita. Q. Insula Tidore. R. Aditus est ciuitatis, alias vndiquaque breuiis & scopulis interiectis inaccessæ. Hoc loco deflua vnda piscatores pisces captant. S. Nauis est ludicra seu ambulatoria. T. Naues sunt, quibus iis modis, vt in historia commemoratum est, pisces captant. V. Nauis vectoria qua merces ab vna insula in aliam transuehunt.

XIV.

QVO HABITV AVT RITV REX PER PLATEAS INCEDAT.




REx Ternates, ſtaturæ breuioris & craßioris eſt, grandi capite. Summa potentia valet: cum ſuæ iuriſdictioni non pauciores 70. Inſulis ſubiectas habeat. Hic aliquò, præcipue autem in templum, perrecturus, anteambulonē puerũ habet, qui humeris gladiũ gerit, & altera manu hœdũ trahit. Hunc guardiani aliquot ſequuntur. Poſt hos incedit, qui thuribulum fert: quem Rex ipſe inſequitur, ſupra cuius caput Tireſol geſtatur. Hunc porrò pone inſectantur alij milites præſidiarij, quibus vexillum præfertur. Hac pompa is ad rem ſacram faciendam incedere ſolet.

XV.
PVGILES, ET FOEMINÆ MOLVCCANI.



PVGILES hi, qui in Moluccanis Inſulis Backeleyers dicti ſunt, caput plerunq; galea intectum habent, quæ ipſa exuuijs auis paradiſiacæ, ut vocant, loco criſtæ exornata eſt. Hi velitatum congreſſi, vno perpetuo, ſed eodem tamen ſubinde variato pede ſtant, & alterum elatum habent, hunc in finem, vt ſi alter propius adſiliat, alter commodius retro ſe mouere poſſit. Qua in pedum viciſſitudine ſingulare ſpectaculum videre licet. Nam ſeu prorſum ſeu vorſum ſaliant, vno id ſemper pede ſtantes faciunt. Tunica goſſypina veſtiuntur, caligis aut ex eadem materia, aut ſerico cincti: quæ tamen ad genua latiores ſunt & ampliores. Aſtantes mulieres Moluccanæ ſunt, quarum capita aduerſus ſolis ardorem goſſypinis tegetibus inſtrata ſunt, variè coloratis. Vrcei, quibus aquam ferunt, ſunt craſſæ & magnæ cannæ ſaccharinæ, duas pluresue vlnas longæ: quas aquæ plenas humeris imponunt, & ſic domum baiulant.

XVI.
QVALES NAVES BANTANI ET TERNATENSES HABEANT.




VIVSMODI *triremibus, ab incolis* Karkollis *dictis, & litera* A. *designatis pugnatum contra hostes profecturi vtuntur: quas mira celeritate promouere possunt. Nam & leuiores sunt, ex asseribus tenuibus contextæ: & non, vt nostrates, picari solent: verum iuncturæ illarum cannabe, ex corticibus nucum Indicarum detractis, obturantur: quibus deinde calcem rebus aliis permixtam oblinunt, vt ab aqua illis nullum periculum impendeat.* B. *Regis Ternates* Karkolla *est, ex cuius lateribus vtrisq; structura quædam exeritur aquam prope contingens, supra quam mancipia seu sclaui, bini semper iuncti consident, & remos trahunt. In superiore nauis parte sunt, qui tympana & instrumenta alia impellunt. Sed & septem tormenta ibidem locata sunt, in quorum ambitu hastæ aliquot defixæ stant. In* Karkollæ *parte postica lectulus quoque affabre factus & regiè instratus positus est, ex quo Regis arma, purpurei coloris holoserico subducta propendebant. Sponda hæc pretiosa tegete instrata erat, supra quam Rex nonnunquam decumbebat, aliquando vero considebat. Ante regem perpetuo quidam stabat, qui flabello ventulum ei faciebat.*

d & e

XVII.
QVO RITV REX DE TVBAN, HOLLANDOS EXCEPERIT.



FIGVRA hac, qua pompa Rex de Tuban, qui Regum Moluccanorum potentissimus est, Hollandos in littus egressos, cum suis nobilibus & ministris alijs, grandi Elephanto insidens, exceperit, designatur. Hic præterquam quod Hollandos humaniter habuisset, illis quoq; Cris seu pugionem, ad principem Mauritium deferendum tradidit. Pugionis vagina cum manubrio ex auro erant. Huic hastas quoque binas mirabiles honorarias addidit. Vestitus regis erat, tunica ex holoserico nigro, cum vagis manicis. Elephantus, quo portabatur, duorum virorum altitudinem habebat, qui à quodam regebatur, qui ferreum vncum baculo infixum gestabat. De hoc rege narratur in historia, quod 24. horarum spatio, armatorum aliquot millia, ad bella paratorum cogere posit. Huic obuiam procedenti cum Hollandi rege dignum honorem exhibuissent, illos capite annuens humaniter accepit, & in palatium deductos, omnis suæ magnificentiæ & & maiestatis spectatores fecit.


XVIII.

REX HOLLANDIS PALATII SVI VIDENDI COPIAM FACIT.



Hollandi, poſtquam à Rege patrio more excepti eſſent, ab eodem in palatium abducti, illius magnificentiæ ſpectatores admiſsi ſunt. A. *Rex eſt, Hollãdos ad palatium ſuum perluſtrãdum inuitans.* B. *Palatium Regis.* C. *Locus, in quo rex cum ſuis conſiliarijs de rebus neceſſarijs deliberat.* D. *Muſquita ſeu templum.* E. *Elephantus grandis eſt, Diabolus magnus dictus. Hic ſimul & vaſtus & ferox eſt, in bellis valde induſtrius: in quo Rex, ſuos hoſtes oppugnaturus, ſedet.* F. *Elephanti ſunt, ſinguli ſingulis ſtabulis ſecluſi.* G. *Stabula ſunt, equis Regijs educandis deſtinata, ſingula ſingulis addicta. Hæc ex cratibus conſepta ſunt, & ſupra terram nonnihil eleuata, vt ſtercora tranſire commode poſsint.*


XIX.
CONCLAVIA QVAEDAM IN AVLA REGIS SINGVLARIA.



INTER *cætera, quæ in palatio regio Hollandi obſeruarunt, domus quoque ſecreta ſpectabatur, armamentis regis ſeruandis extructa: quæ ciſtis omnia incluſa erant; binis vel ternis ſibi inuicem ſemper impoſitis. Litera horum* A. *eſt.* B. *Conclaue eſt, caueis vndiquaque plenum: in quarum quauis gallus inſidebat. Hos Rex voluptatis gratia alit, vt eos deinde pugnis ludicris adhibeat. Ab hoc conclaui aliud erat, pſittacis confertum: quorum ſinguli ſingulis caueis includebantur. Hi omnium nobilißimi & pulcherrimi ſunt, Noyras apud illos dicti: qui tum elegantia, tum facundia & amabilitate ſua in admirationem & ſtuporem omnes dabant. Hi* C. *litera deſignantur.* D. *Tectum eſt, ſub quo venatici canes Regis religati cibantur.* E. *Locus, in quo, cum Rex Hollandis aſſediſſet, Elephantus eius accedens, in genua ſe demiſit, & promuſcidem in regis ſinum porrexit, vſque dum fructus nonnullos à Rege acciperet. Quibus acceptis reconſurgens, ad ſtabulum ſe recepit. His omnibus animalibus inſtituendis & educandis ſui magiſtri præfecti ſunt. Tandem vero ex Hollandis tres in ſuum cubiculum rex ſecum abduxit, quibus lectum ſuum ex ſerico ornatißime excultum, oſtendit. Lectus hic menſæ lapideæ inſtratus erat, tribus pedibus ſupra terram erectæ, & varijs formis cælatæ. In huius ambitu caueæ frequentes dependebant, quibus turtures voluptatis cauſa alebantur. In lectum hunc Rex aliquantiſper decumbebat, & cum filiola parua, cuius bracchia aureis armillis frequentibus ornata erant, ludendo iocabatur. Id litera* F. *docetur.*


XX.


CONIVGES ET CONCVBINÆ REGIS TVBANI.




Omnium postremo Rex Hollandis quoque conclaue illud monstrabat, in quo ipsius coniuges, quarum quatuor erant, morabantur. Cum his in Hollandorum præsentia multa fabulatus est. Horũ nota A. litera est. B. Loca discreta & disiuncta sunt, vbi regiæ concubinæ, numero 300. alebantur. D. Palus seu lacus est, vbi peculiares quædam aues nostratibus anatibus fere similes, sed aliquanto maiores, aluntur. Hic locus tecto superinductus erat, vt aues contra solis ardorem tutæ essent.

FINIS.












GAUDEO